


FINKII
GEOMETR.
ROTUNDI.

THOMAE FINKII
Flenſpurgenſis
GEOMETRIÆ RO-TVNDI Libri XIIII.

Ad

FRIDERICVM Secundum, Sereniſsimum Daniæ & Norvegiæ regem, &c.

Cum Gratia & Privileg. Cæſ. Maieſt.

BASILEÆ,

PER SEBASTIANVM

HENRICPETRI.

1775

POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO: FRIDERICO II:

Sereniſsimo Daniæ, Norvegiæ, Schlavorum Gothorumq; regi: illuſtriſsimo Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmarſiæ duci: Comiti in Oldenburgo & Delmenhorſt, &c. Domino ſuo clementiſsimo.

V*ERVM quidem eſt*, FRIDERICE *Rex, Princeps illuſtriſsime, tritum quod fertur ſermone proverbium: Vino Vendibili ſuſpenſa hedera opus non eſſe. Ea enim rerum bonarum eſt natura: ut tametſi à nullo laudentur: eos tamen, qui meliore mente præditi ſunt, ad ſe amandum excitent. Sed non minus quoq; Heſiodi, Vetuſtiſsimi poëtæ, querela vera eſt: ignorare homines quantum utilitatis atque commodi Malva & Albucum Vitæ humanæ conferant. ita enim pleriq; ſunt affecti: ut res etiam ſummè neceſſarias & fructuoſas, quia vel vulgares ſunt vel ad pompam & ſplendorem minus accommodatæ, negligant prorſus atq; contemnant.*

Videre id cum aliis in rebus, tum literis humanioribus licet: maximè verò iis in artibus: quæ ob certam ſuam, quam pariunt ſcientiam κατ᾽ ἐξοχὴν *mathematicæ ſolæ vocantur.*

Hæ enim cum dignitatis in vita parum habere videantur, ſor-

dent plerisq; & fastidiuntur: in amore contra & delitiis habentur: quæ ad quæstum sunt & magnificentiam comparatæ. Quotus enim quisq; est: qui non utilissimis hisce disciplinis vel neglectis prorsus, vel obiter saltem & quasi per transennam salutatis, illico ad ea provolat studia: quæ in vulgus probantur: quæ ampla proposita habere præmia putantur: quæ ad opes & dignitates viam videntur aditumq; patefacere.

At verò si rerum æstimatores paulò esse æquiores voluerimus: & dignitatem artes habere Mathematicas summam deprehendemus: & tantam in vita communi utilitatem: ut eas è societate humana qui tollunt, Solē ipsum è mundo tollere videantur.

Ecquis enim tam est ab omni historiarum cognitione instructus malè: ut Mathematum fuisse cultores Patriarchas sanctissimos, Rerumpub. gubernatores prudentissimos, naturæ indagatores solertissimos, non animadvertat? Abrahamum Iosephus testatur non tantum artibus Mathematicis excelluisse: sed easdem quoq; Aegyptios docuisse. Idem de sacerdotibus Aegyptiacis alii referunt historici.

De Regibus verò & Monarchis, qui hæc studia vel amarunt vel excoluerunt, quid dicam? Alexandrum illum Magnum Alexandriam Aegypti Mathematicis fundasse quis ignorat? Quis Iulii Cæsaris in his artibus ardorem nescit: qui

—— media inter prælia semper
Stellarum cœliq; plagis superisq; vacasse

se, gloriari apud Lucanum non veretur? Quid de Carolo Magno & eo, qui idem tecum, Rex serenissime, nomen obtinuit, Friderico Secundo imperatore referam? quorum alter tantum in Mathematicis disciplinis profecit: ut sui temporis artificibus annumerari queat: alter tantum eas amavit: ut ex Arabum monumentis in Latinum sermonem transfundi doctrinam Mathematicam, sumptibus non parvis curârit. Longum esset omnes & re-

ges & principes, qui hisce operam studiis dederũt, recensere. itaq; breviter saltem quosdam attingere volui: ut reliquorũ tibi memoriam, Rex serenissime, in mentem revocarem. inprimis tamen memorabile istud de Carolo Quinto est: quod etiam in thermis sedens, à studiis Mathematicis non quieverit: sed horologiis artificiosè describendis ocium fefellerit. Quin & in obsidione Vitebergensi, cum in castra ad illum principes venissent, brachiis suffultus tabulas inspexisse Geographicas dicitur. usq; adeo turpe sibi non duxit Imperator prudentissimus: etiam medios inter armorum strepitus ad studia Mathematica incumbere.

Jam verò ad Scholarum & Philosophorum umbracula descendere si placet: quis Thaletem, quis Pythagoram, Platonem, quis hujus discipulum Aristotelem, quis alios in omni scientiarum genere Clarissimos Viros, naturæq; speculatores acerrimos, plurimum in his temporis studiiq; posuisse negabit? Contra verò quis esse audebit tam insigniter impudens: ut tanta doctrina, virtute, prudentia præditos viros aut rem minus præstantem amasse & excoluisse: aut in inutilem eandemq; non necessariam, tantum studium tantamq; operam contulisse, affirmare non dubitet?

Certè de utilitate & necessitate harum artium si dicendum esset: reipsa videremus: non Argum illum, qui à Poëtis fingitur, vel decem oculorum millibus, tàm acutè tamq; latè unquam videre potuisse: quam longè lateq; duobus saltem, Arithmeticæ dico & Geometriæ, luminibus prospici queat.

Ut enim taceam: quantum ambæ hæ artes & ad Opticam & Astronomiam, cæteramq; Physicam, Medicinam, Politicam, Theologiam cognoscendam docendámve adjumenti adferant: quarum quæso in agendo, sive domi sive foris, seu publicè seu privatim, magis est & utilis & necessaria cognitio?

De Arithmetica fortassis alienũ est hoc in loco dicere: & alius aliquando dabitur de hac dicendi locus.

Ad Geometriam verò oculos convertere si velimus, quantus utilitatis sese quæso campus offert? quantus in Geodæsia? quantis in Mechanicis? in cuneo, vecte, libra, cochlea? quantus in fodinis? quantus in re militari? quantus in nautica? quantus in omnium artium conservatrice Typographia? Et quis est: qui apertam in omnibus Geometriæ necessitatem non videat? Quod stamus: quod sedemus: quod surgimus: quod ambulamus: Geometriæ usus est manifestissimus. Hinc domicilia extruuntur: hinc ædificantur urbes: hinc vestimenta nobis suppeditantur: hinc omnia tàm belli quàm pacis instrumenta parantur.

Tanti autem & tam multi utilitatis rivuli, cum ex omnibus universæ Geometriæ fontibus, in agros nostros scaturiant: fœcundissimus tamen esse videtur ille: qui ex Rotundi sese latebris effundit. Hinc enim exactissimo triangulorum calculo & machinarum instituitur secundum axes suos dispositio: & vix unquam elusæ deducuntur collimationis viæ: imò tota hinc hostilis illa in arces & oppida irruptio optimè perficitur. Turpi clade ipse sibi ad Meliteorum urbem Philippus nocuit: quòd scalas nimis breves muris admoveri curavit. idem ad Mediolanum Gallis obfuisse dicitur. Et nostri temporis plura recenseri exempla possent: odiosa ni essent. id igitur hac doctrina probè percepta vitari poterit. Hinc enim cum omnis generis magnitudines ita metiamur exactè: ut etiam in splendidissimis regum aulis notatu dignum nihil sit: quod hac dimetiri geodæsia nequeamus: quid facilius quam fossarum latitudines & profunditates capere: & anguli harum recti basin investigare?

Neque vero in bello saltem vim suam Geometria Rotundi exerit: sed in pace quoque: idque multo magis. pacis enim tempore Cœlestis civitatis vias exactissimè describit: sydera certis suis domiciliis distinguit: terram climatis, aliisq; ad cœli formam partibus, distribuit. Hinc eæ prodierunt tabulæ: in quas Alphonsus

phonsus Rex quadringenta aureorum millia, liberalitate sanè regia insumpsisse dicitur. Hinc illis veterascentibus novæ substitutæ fuerunt. Et hinc aliquando tandem, si ita Deo visum fuerit, nitori suo, omnium illa laudatissima scientiarum Astronomia, restituenda erit: non tàm fortassis tabularum inde confectis centuriis: quàm solidis calculi Astronomici axiomatis deductis: explosa insuper fictitiorum illorum circulorum & orbium myriade: quæ in ipsam est naturam naturæq; opificem injuria: & sine artificio optico luci artificiosæ contraria: sine Cœlesti numine corporibus illis nobilibus repugnans.

Tantam potentissime Rex, cum viderem ex hac unica Geometriæ parte, in omnes artes, utilitatem redundare: & vero non ita adhuc à quoquam traditam scirem: ut à studiosis hujus doctrinæ percipi commodè posset: rei literariæ hac in parte, pro ingenioli mei tenuitate, succurrendum esse duxi. Quæ igitur hac de re apud Regiomontanum notare, apud Copernicum perdiscere, è Ptolemæo atque Rheinholdo haurire, è Petro Nonio aliisq; viris eximiis tàm superioris quàm nostri seculi percipere, & pro quantulacunq; mea diligentia perscrutari potui: ea studiosè comportata, & pro tenui nostro judicio in præsens hoc volumen digesta, studiosis harum rerum communicare volui.

Neque verò hoc tanquam arrogantius à me dictum accipi volo. Novi ego meo me pede metiri: novi etiam quam curta mihi sit & accisa doctrinæ supellex. Veruntamen eo me consolor: quod qui non invidioso sunt ingenio præditi: quique publicarum sunt utilitatum studiosi: ii, si quid habent, quod commoditatem habere videtur, qualecunq; illud sit, in medium proferre solent: ut, quoad fieri possit, societati humanæ prodesse voluisse & etiam profuisse videantur. Ejusmodi voluntatem & ego in re fortassis levi & abjecta, utili tamen & pernecessaria declarare statui.

Sub

Sub tuæ autem, illustrißime Princeps, Majestatis nomine, tyrocinia mea in lucem prodire volui: non ut ignaviæ atq; inertiæ subsidium & patrocinium quærerem: sed ut quem Deus Opt. Max. patriæ meæ longè dulcißimæ præesse, vel hæreditario jure, illustrißimum Principem voluit: erga eum ego gratitudinis aliquod documentum relinquerem.

Quin & æquum esse arbitratus sum: ut grata Mathemata suos maximè Mecœnates & Patronos celebrarent. in quorum numero regiam T. M. consistere: vel insignis illa erga nobilissimum & in Mathematis excellentißimum virum Dn. Tychonem Brahe magnificentia docere satis poterit: Academia verò Hafniensis nunquam tacebit. Nimirum id verè regium est, ut regni, sic virtutum paternarum hæredem esse. Eodem enim animo M. T. parentem, laudatißimæ & serenißimæ memoriæ Principem, in Mathematis provehendis fuisse: & res testatur ipsa: & universa agnoscit hominum literatorum corona. uterq; igitur munere suo atq; officio regio functus est probè. Duo enim in rege bono divinus ille Plato requirit: potentiam regiam & animum philosophicum. Nullum enim regnum absq; potentia diuturnum: nullum absque literis præclarum. Hæc verò conjuncta cum sunt in rege: tum demum bene beateq; eos, qui subsunt, vivere necesse est. Hæc igitur duo, cum & tu, Princeps serenißime, hæreditario quasi jure, à parente tuo acceperis: sempiternam tibi laudem & felicitatem comparabis.

Itaq; hoc animo tuo philosophico, & hoc amore erga bonas literas earumq; cultores fretus, Rex clementißime: primitias hasce meas M. T. ea qua par est animi submißione dono dicoq;: & ut boni consulat etiam atq; etiam rogo. Scio equidem munusculum hoc tanto rege indignum esse. Sed tamen spero qua doctrina, sapientia, clementia & humanitate prædita est M. T. libenter hoc qualecunq; opusculum & me quoq; ipsum suam in clien-

telam recepturam. itaque me meaq́ʒ ſtudia M. T. commendo: eiq́ʒ omnia mea officia, operas & labores offero & mancipo. Etenim ſi hanc primam ſtudiorum meorum quaſi ſegetem non ſpreviſſe M. T. cognovero: frugem illi aliquando, ſi non optimam, aliquanto tamen quam hanc meliorem & maturiorem, Deo me bene juvante, offerre conabor.

Sed ne diutius M. T. regiam detineam: eam, cum tota illuſtriſſima Danica atque Holſatica domo, Deo ter Maximo commendo: qui eam, in utilitatem Reip. cum Chriſtianæ tum politicæ, ſalvam & incolumem, fortunatam & proſperam, annos deinceps plurimos, conſervet, tueatur, defendat. Amen. Baſileæ Rauracorum anni ſalutis humanæ M. D. LXXXIII. *Menſe Septembr.*

Majeſt. T.
addictiſs.

Thomas Finck
Flenſpurgenſis.

TH. FIN.

TH. FINKIVS FLENS. LEctori philomathi ac Mathematico

S. P. D.

CVM primum ego ad Mathematicas diſciplinas animum appuli, Lector benevole: id mihi negotii credidi ſolum dari: bona via ac methodo in iiſdem ut progrederer. Sed in Geometria dum verſor: copiam quidem in Euclidea ϛοιχειώσει propoſitionũ permagnam video: methodum vero in ubertate tanta nullam, aut vix ullam videre potui. Quam id me perturbarit: quam etiam cordi meo doluerit: & ego ſcio: & alii, familiariter mecum qui vixerunt, non ignorant. Alia itaq; ad perſcrutandam divinam hanc ſcientiam, via inſiſtendum mihi putabam: cum hac ſucceſſiſſet parum. itaque ad P. Rami me volumen Geometricum converti. inveni illicò quod in Euclide deſiderâram diu. Nam & methodi ſeſe clariſſima offerebant veſtigia: & ars quoq; ipſa copioſius aliquanto & luculentius inſtructa videbatur. Mirum, quam me res hæc delectârit: & ad penitus cognoſcendam hanc artem inflammârit. Quare unica lectione nõ contentus: aliquoties illud legi atq; relegi: artis nimirũ totius perdiſcendæ cupidiſſimus. Aperuit mihi vir hic mentis oculos: quòd Logices uſum in Mathematis egregiè monſtrare eſt viſus: Sed & ita judicium mihi, quod abſq; tamen oſtentatione dictum velim, acuit: ut tertia demum & quarta repetitione viderem: ipſum quoq; Ramum, cum cæteris penè ſatisfecerit omnibus, ſibi ipſi tamen nondum ſatisfeciſſe: ſed locos tantum ampliſſimæ hujus ſcientiæ comportaſſe atq; digeſſiſſe: quo certis eam limitibus incluſam haberet. itaque illius ego veſtigia ſequens: quos ille varios authores allegat: eos omnes, quotquot habere potui, cognoſcere diligenter cœpi: ex iiſque elementorum Geometricorum copiam conquirere: judicioque logico qualicunque digerere ſtudioſè ſum conatus. Sed hic jam Epipedometrica ſeſe offerebant: jam occurrebant ſtereometrica: quæ curſum laboris noſtri non mediocriter retardabant. Quamobrem unam mihi deligere partem, viſum eſt operæ precium: quam Geometriam ego Rotundi voco: uſus certè in omni Mathematicarum ac Phyſicarum diſciplinarum genere ampliſſimi. in qua cum mihi, hoc quidem tempore, ſatisfeciſſem: quòd amicis rectè judicantibus ſatisfeceram: diutius eam apud me latere nolui: ſed candide tecum, benevole Lector, communicare.

Ad οἰκοδόμησιν autem & ſtructuram ipſius operis quod attinet: id cum primis operam dare conati ſumus: ne quid ἀμέθοδον, hoc eſt ὕϛερον πρότερον eſſet: néve aliquid aut non ἀληθὲς aut non χρήσιμον aut non ἀκόλουθον, ut cum Galeno loquar,

in ele-

in elementis ipſis aſſumeretur.itaq; nec Euclidearum propoſitionum ordinem ſervare ſemper potuimus:nec Ramearum ubiq; connexionem retinere.

Data poteſtas hæc Hippocrati,data Leoni,Theudio,Hermotimo,Euclidi, Theoni,data aliis στοιχειώταις fuit:ut ordinem propoſitionum in anteceſſoribus ſuis ſine offenſione mutarent:eademq; alio quam ipſi modo traderēt. idem ſibi jus majores noſtri concedi voluerunt.Quotus enim quiſq; Arithmeticorum etiā eorum, qui authoritate in Scholis publica docentur, propoſitiones Euclideas ordine Euclideo diſpoſuit?Vogelinus certè,Cæſareus olim Mathematicus,in Geometricis idē attentavit:nec unius tantum libri,ſed varia variorum librorū elementa tranſpoſuit Idem ſibi licere arbitratus eſt Maurolycus,non in Euclide tantum: verum etiam in iis,qui poſteriores Euclide fuerunt:Menelao ſcilicet & Theodoſio.Neq; ante hos peccare ſeſe Regiomontanus putavit:ſi ſuo atque libero judicio veterum στοιχεῖα ſuum in librum digereret:& quidē alio modo quā à veteribus collecta invenerat digereret.

Non ego tantis me artificibus comparo : eandem tamen,quam illi,poteſtatem à Lectore candido conſecuturū me ſpero.Etenim in ea ſum ſententia:ut,ſi quid benè ſit ab iis qui arte præſtant:id ab aliis quoq; qui doctrina non ita fortaſſis excellunt, non arroganter annotari:& ad imitationem transferri poſſe exiſtimem.

Nec quicquam hac ratione aut Euclidi,aut Regiomontano,aut Vogelino,aut Ramo detractum arbitror. Damus alijs hanc veniam : petimusq; viciſſim:veniam tamen aureæ methodi doctrinæ conſonam.

Conſtructionis etiam hæc cura fuit:ut ipſa tractatio certis ſive capitibus ſive libris diſtingueretur.Libros tamen potiùs quam capita retinere placuit.utrumq; noluimus : ob citationem propoſitionum antecedentium in demonſtrationibus ſequentiū:quæ enumeratione elementi,capitis,libri nimis futura prolixa videbatur.

Cęterum in demonſtrationibus:eſſent'ne citanda elementa Euclidea an Ramea, nonnihil hæſitavi.Euclidis adducenda putabam: quod Scholarum ea ferè omnium authoritate eſſent munita.At Rami tandem citanda potiùs eſſe ſtatui: primum quidem quòd hæc ſtatim Euclidea monſtrarent:dein quod præ Euclide quædā haberet Ramus:quorum uſus mihi in demonſtrationibus fuit neceſſarius : tū quod Rameæ Geometriæ hanc meam qualemcunq; operam ita ſum accōmodare conatus: ut circulari ea ac Sphæricæ ſubjungi,aut cum eadem conjungi poſſit.Quapropter pleraq; ipſius elementa retinui:ſed aliorū ea Geometrarū & novis quibuſdam theorematis adauxi.itaq; ubi elementis quæ citantur additum videris R.Rami Geometriā intelliges:ubi vero abſq; R citata propoſitio fuerit:eā præſentis eſſe tractatus cōcludes.

Ex Menelao quoque elementa nonnulla adduco : ſuppeditavit etiam quædam Theodoſius.Sed ego omnia iſta Ptolemæo & Regiomontano noſtro aſcripſi : propterea quod Menelaus , tametſi Meſſanæ ſit excuſus , non facilè tamen reperiatur:

Theodosius vero à Vogelino aliter, aliter à Maurolyco, aliter demum à Pena, proinde q; variè sit editus. Atq; hæc constructionis ratio fuit.

Porro ad figurarum picturas & lineamenta quod attinet: nõ minor fortassis à me cura suscepta fuit. Sed earum elegantia penes me esse non potuit. Neq; vero Typographi nobis opera forsan defuisset: si sculptorem nancisci idoneum & suæ satis artis peritum potuissemus. Qua quidem re non offensum iri benevolum Lectorem arbitror: si istud cogitaverit: ut non aurum est semper quod aurum splendet: sic nec sordidum semper esse pallio sordido quod tegitur. Et minus forsan asinina leonem pellis deformat quam asinum leonina exornat.

in cæteris verò, an id, quod maxime nobis propositum fuit, assecuti simus, penes alios judicium esto. Vos enim ego Lectores Logicos & Mathematicos, Mathematicos, inquam, & Logicos Lectores rogo: ut candidè atq; syncerè de hac nostra qualicunque opella judicetis. Si assecutus sum, quod volui, gaudeo: sin minus, ignosci mihi cupio: sententiam emendare paratus: sive me ipse melius docuero: sive monitus quam aliis melius quid & elegantius didicero.

Datum id summis fuit ac clarissimis in omni scientiarum genere philosophis: ut absq; ulla nominis sui labe libros recognoscerent atq; corrigerent. Non igitur hæc tyroni occlusa esse via debet: & fortassis, quam illis, minus.

A' te itaq; Claris. David Vvolkensteini: quia princeps mihi & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisti: pro ea quæ inter nos est amicitiæ conjunctione contendo: ut hæc mea tyrocinia tuæ submittere censuræ velis: diligenterq; pro ingenii quo polles solertia, judiciiq; acumine examinare, ponderare, meq; ubi opus fuerit & tibi videbitur, pro candore tuo monere ne graveris. Nec de tua hac in re promptitudine quicquam dubito. Cum enim Mathematicis me multis, in primis verò tibi rem me facturum esse longè gratissimam scribas: planè confido futurum: ut id re ipsa sis declaraturus.

Quin & in eadem Argentoratensiũ Academia, nec te Conrade Dasypodi transire possum. vellem tibi amice ab Astrologicis cæterisq; domesticis tantum daretur ocii: ut hæc nostra perlegere atq; perpendere posses.

Sed & te Christiane Vrstisi & te Michaël Mæstline non rogatos relinquere non possum. peto igitur: ut quæ mihi humanitatis & benevolentiæ officia præstitistis: eadem è Musæo nostro jam avolanti metricæ ne denegetis Nota mihi vestra in studiis hisce eruditio est: nota in judicando fides: facite quæso: ne ignota mihi vestra sit in admonendo diligentia.

Nec te Lazare Schonere: qui vel ipso Schonerorum nomine Mathematicus es, difficilem mihi hoc in officio futurum arbitror.

Et quia semel hunc ego campum sum ingressus: ex eodem aliis egregiis artificibus non compellatis exire vix possum. qui si de facie mihi adhuc noti non sunt:

ex suis

AD LECTOREM.

ex ſuis tamen, quæ in hoc ſtudiorum genere ediderunt, ſcriptis innotuérunt.

Te itaq; nobiliſſime Dn. Tycho Brahe rogo: ut, ſi hæc mea etiam mare Balthicum ad te transvolarint: hoſpitium illis ne deneges: ſed benigno vultu excipias: itaq; traſtes: ut & quod boni ferãt nõ tegas: & quod reprehenſione in illis dignũ inveneris non diſſimules. Facies id ob cõmunia noſtra ſtudia: facies ob cõmunem regẽ: Principem atq; Dominum noſtrum clementiſſimum. Nuper in patria cũ verſarer, mare Balthicũ ſalutandi tui cauſa trajicere cõſtituerã. Sed ita illud tũ ſæviit: vt ei me propter inſtantẽ hyemẽ cõmittere non ſim auſus. Quæ igitur tũ præſenti mihi beneficia procul dubio exhibuiſſes: ea abſenti in Chartis hiſce meis ut præſtes etiã atq; etiã oro.

Pluribus hoc idem à te Dn. Thoma Diggeſee peterem: ſi de tuo ardore in his ſtudiis & induſtria dubitarem. E' ſcalis atq; alis Mathematicis notum mihi primum factum eſt nomen tuum. Fac quæſo: ut ſicuti ſcalas cœlo compendioſas admoviſti: ſic breviſſimos ad ſydera in calculo acceſſus eligas. Quod utinam Copernici problemata præſtarent. Ego enim quo pacto præſtent videre nondum poſſem. Tu itaq; mi Thoma judicabis: & calculum Gebri, Regiomontani, itemq; Copernici, cum eo, qui hiſce in libris ex Ptolemæo atq; Rheinholdo deducitur, conferes.

Quod ab hiſce, quos recenſui, obtinere ſum conatus: idem mihi, uti ſpero, cæteri quoq; artifices, ubicunq; locorum eſtis, tribuetis. Nominatim omnes appellare nequeo. A' te tamen Dn. Thaddęe Hageci, nec non Joan. Prætori, idem ſigillatim peto. Vos enim ego ob ſublimem illam in Meteorologicis eruditionem miratus ſum & amavi ſemper: ſed & deinceps colam & amabo perpetuò. Cæteros ego artifices nominatim omnes perſequi ſi vellem: & charta me & oratio deficeret. Tot enim excitavit Deus Opt. Max. ſingulari ſua bonitate hoc noſtro ſeculo inſignes & exercitatos in hoc ſtudiorum genere viros: vt percenſeri numerando vix poſſint. Quare cum difficile ſit non aliquẽ, nefas quenquã præterire: Vos ego ſingulos & univerſos una voce appello: veſtræ cenſuræ atq; judicio ſubmiſſè mea ſubjicio: examinãdaq; permitto. Quod ſi morem geſſeritis: libenterq; mihi hac in re gratificati fueritis nõ ego

Bina dabo argento perfecta, atq; aſpera ſignis
Pocula—
Nec tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum—

Sed, ſi eo contenti eſſe vultis, me ipſum vobis largiar: ad ſimile officiorum genus paratiſſimum ſemper habebitis: veſtri ſtudioſum experiemini ſemper: beneficii præſtiti immemorem nunquam deprehendetis.

Atq; hic præfationis hujus finis eſto: quam ipſe librorum contextus inſequetur: prius tamen præmiſſis elementis duobus: quæ tamen ad finem reſtituta ſunt. Ea ad quintum Rami librum referenda puto: & ſic deinceps citabo. Valete Lectores optimi: & ſtudiis noſtris juvenilib. benignè favete Baſileæ Raurac. M. D. LXXXIII.

- Rotundum est
  - Circulus: in cujus Geomet. est
    - Partitio Est.n.
      - Simplex in
        - Lineis
          - Rectis
            - Secantibus — 1
            - tangentibus
              - solis — 2
              - cum rectis — 2
          - Obliquus
            - solis — 2
            - cum rectis — 2
        - Segmento quod est
          - Sector in
            - centro — 3
            - peripheria — 3
          - Sectio cujus
            - Adjuncta
              - Fabricæ quædam — 3
              - comparatio in angulis — 3
            - Species
              - Semicirculus in quo sunt
                - 1
                  - Anguli — 4
                  - Latera — 4
                - 2
                  - Sinus
                    - primus — 5
                    - secundus — 5
                  - ei connexa
                    - Tangens — 5
                    - Secans — 5
              - inæqualis semicirculo.
      - Conjuncta in adscriptione
        - circuli — 6
        - rectilinei
          - trianguli — 6
          - triangulati ordinati
            - communi — 7
            - propria
              - Quadrati — 7
              - Quinquang &c. — 7
    - Usus in
      - tetragonismo — 8
      - triangulorum
        - Canone — 9
        - Calculo: theorematis & postulatis novo modo exposito: — 10
        - unde deducitur Geodæsia rectarum — 11

Sphæra

- *Sphæra ubi sunt*
  - Geodæsia
    - simplex
    - comparata
  - Circuli ubi considerantur
    - Communia
      - perpendiculum
      - axis, &c.
    - specialia in maximo
      - 1 cum aliis
        - Ratio
        - Similitudo
      - 2 Triangulum ubi est
        - Expositio
          - Communis
            - Trianguli
            - Triangulorum
          - Propria
            - Rectanguli
            - Obliquanguli
        - Calculus ex
          - Ptolemæo & Rheinholdo per
            - consectaria
              - 17 pro
                - Rectangulo 16. ad inventionem tertii datis duobus quibusvis terminis per solã multiplicationẽ
                - Rectangulis 1.
              - 6 pro obliquangulo
            - Postulatum pro reliquis obliquanguli quæsitis.
          - 2. p. 5. Regiom. unde est duplex inventio facilior quam in postulato fuerat.

12 (simplex … Similitudo)

13 (Trianguli … Obliquanguli)

14 (Rectangulo … fuerat)

Benevolo Lectori S.

Qui tibi, amice Lector, volumen integrum communicavimus: nec quæ commiſſa fuere ſphalmata graphica reticere debuimus: ut qui tecum cōmmunicare plura parati fuimus: in pauculis hiſce tibi ne defuiſſe videremur.

Prior autem & ſolitarius numerus paginam: poſterior paginæ verſum denotat.

20. 19 *lege* 7.e.6. 32 *in figura i & u locis commuta & e ad alterū terminum a conſigna.* 25 *in figura ſecūda pro s e e pone s e p. & a ac u ad s propius admoneantur ut angulos notent, tum perpendicularis ad diametrum notetur literis i ad diametrū, t ad peripheriam.* 33 *in ſecunda figura in recta a o in fine deſideratur e.* 33. 3 *pro e o lege a o.* 44 *in prima figura in peripheria deſideratur i in linea o i.* 47. 21 *ſubdupli.* 54. 14 *pro a o e, o a e.* 60. 25 *hoc eſt.* 60. 44 *in baſi æquiangulum.* 68 *in termino ſiniſtro diametri deſideratur a.* 87. 6 *l & r angulis.* 96. 1 *dele: ſegmentum majus.* 133. 12 *præcedentis pro ſequentis.* 281. 11 *è ſequenti linea poſt datæ: ponatur peripheriarum.* 285. *in linea i o deſideratur e.* 324. 27 *planus è* 44 *per* 14. 324. 28 *planus è* $\frac{6\ 1\ 6}{6}$. 334 *in figuræ recta in t q deſideratur in fine n.* 339. 6 *o i e.* 340. 31 *diſtant igitur e &c.* 341. 2 *anguli a i e. inq; figura ultima literæ ſic conſequuntur l s t m.* 345 *in ultima figura in arcus o m fine deeſt t.* 355 *in arcus e y altero fine deſideratur u.* 378. 11 *pro ſi, si.* 379 *totus ſecundus verſus proxime antecedere debet* 23.e. 405 *in recta i y omiſſum eſt u. præterea* 91. 13 & 274. 14. & 275 25 & 288. 5 *pro i lege* 1. 283. 16 &. 305. 5 *in particula* 15 & 335. 21 *pro* 5 *leges.* 287. 13 *poſt e u.* & 305. 5 *poſt vocem per.* & 333. 27 *poſt* 15.e. & 334. 28 *poſt* 15 e. & 339. 11 *poſt vocē per.* & 342. 14 *poſt vocē per.* & 378. 8 & 382. 13 *poſt ſyllab. ca pro s, s.*

Etymologica & orthographica facilè Lector ipſe reſtituet ut 29. 9 *contactum.* 32. 21 *ſemiſſæ.* 32. 27 & 44. 12 *æquatur* 60. 23 *dico.* 60. 27 *rectæ.* 61. 34 *latus.* 63. 15 *per.* 70. 12 *exteriori.* 74. 30 *ad.* 79. 13 *præmiſſa.* 87. 6 *circuli.* 115. 1 *partes.* 131. 20 *interior.* 312. 2 *radius.* 315. 4 *tum.* 317. 5 *habeas.* 324. 12 *cubo.* 337. 30 *dimittantur.* 338. 7. *totam.* 352. 18 *minoris.* 353. 9 *diſſeminata. & ſi quæ ſunt alia.*

In loco reſtitutionis depravatorum numerorum canonis triangulorum prior numerus gradum quadrantis in ſupero margine, ſecundus minutam in ſiniſtro, tertius gradum ſignificat periodi quæ quarto numero indicatur.

Locus reſtit. in canone ſinuum

Reſtit.

- 0. 64. 0. 1. 1. & 64. 2. 1. 2.
- 3. 14. 41. 2. 2 & 62. 18. 1. 2.
- 4. 63. 18. 1. 1.
- 5. 27. 4. 2. 2 & 49. 20. 1. 2. & 35. 41. 2. 2.
- 7. 23. 45. 1. 2.
- 8. 13. 21. 2. 1 & 31. 56. 2. 2.

Locus reſtit. in can. ſecant.

Reſtit.

- 0. 9.28.3.1 & 23.5.9.1.3. & 49. 5.3.1.
- 1. 68.35.3.1.
- 2. 70.56.1.2.
- 3. 21.18.1.2 & 32.24.1.2 & 39.43.1.3. & 44.8.2.2.
- 6. 68.39.2.2.
- 8. 63. 9.1.1.

Locus reſtitut. in canone tangent.

Reſtit.

- 0. 15.27.1.1 & 8. 0.2.2 & 19.20.2.2. & 56. 8.1.2 & 59.59.2.2 & 86.57.2.1. & 87.21.3.2.
- 4. 46.14.3.2.
- 5. 39.14.1.2 & 43.32.3.2.
- 6. 8.34.1.2 & 16. 0.22 & 38.40.2.1. & 44.56.1.1 & 47.43.1.2 & 87.32.1.2.
- 7. 27.56.2.1 & 47.7.1.2.
- 9. 8.55.3.1 & 17.7.1.2 & 34.10.2.1. & 35.35.2.1 & 41.1.3,1 & 46.19.2.1.

Præterea in canone ſinuum ad 21. 34. *locis commuta* 6 & 7.
in can. tang. ad 87.19. *muta* 6. *cū poſte.* 3.
in can. ſec. 37.22. *ult. period. ſic eſt* 291.

Reliqua ſi quæ ſunt in gradibus extremarum periodorum ex vicinis areis facilè reſtituentur.

ELEMENTA DVO PTO-LEMAICA INSERENDA AD finem libri quinti Rami.

14. *SI duæ rectæ se secantes parallelis pluribus intersecantur: parallelæ segmentis conterminis sunt proportionales.*

Esto sint duæ rectæ a e. a i. sectæ à se & parallelis o u. e i. Erit ut u o. ad e i, sic a o ad a i. Elementum veritatis suæ causam aliam non desiderat quam per species inductionem. Nec generalior demonstratio dari potest. Elementum enim cujus specialia exempla proximo genere differũt generali medio demonstrari nequit. Sufficit itaq; inductio, quod si parallelæ sint inæquales similiter contermina segmenta inæqualia existere: si sint æquales fore quoque ut segmenta habeantur æqualia: quemadmodum hic patet in intersectis verticaliter ad u.





Nam ut a e & o i æquantur, ita & o u. u e. vel a u & u i.

15. *Si quatuor rectarum duæ faciant angulum, reliquæ ab harum terminis in se reflexæ priores secent: ratio unius ad segmentum suum, vel segmentorũ inter se fit è ratione ita conterminarum, ut prima facientium conterminetur*

antecedentis factæ principio, secunda huius consequentis fini contermina terminetur in finem consequentis factæ.

Sint enim quatuor rectæ a e. a i. e u. i o. quarum duæ priores faciant angulum ad a. reliquæ ab harum terminis reflexæ secent se in y. atq; duas priores in u & o.



Dico primò rationem i a ad a u esse factam è ratione i o ad o y. & y e ad e u.

Qui primus Ptolemæi casus est.

Secundò rationem i u ad u a esse factam è ratione i y ad y o. & o e ad e a.

Qui secundus est Ptolemæi casus.

Et sic deinceps plures colliges casus prout elementum habet.

Elementi autem ut & præcedentis generalis demonstratio nulla est. Ptolemæus casus suos duos speciales demonstrat speciatim, & primum quidem hoc modo:

Ducatur à termino u pararella ipsi o i. sitque u s. Erit tum per 14. e.

ut i a ad a u, sic i o ad u s.

Atqui ratio i o ad u s est facta è ratione i o ad o y & y e ad e u.

Ergo ratio i a ad a u ex iisdem erit facta Assumptionem hinc probat: ex axiomate illo logistico: Si numerus numeros multiplicet facti erunt multiplicatis proportionales: & vero assumpta deforis linea multiplicante o y. multiplicante inquam o i & u s. ergò erit ratio i o ad u s. facta è ratione o y ad o i. & o y ad s u. id est, per 14. e. y e ad e u.

Quod

Quod si hæc ad Arithmetica retuleris: prout ad multiplicationem proportionum referri debent omnia ea quæ de facta dicuntur ratione: facilis tibi in promptu erit demonstratio. Sint enim multiplicatæ proportiones, ut i o ad o y. sic i o ad o y. hoc est, utrinq; æqualitatis ratio: & rursus y e ad e u. ut o y ad u s. per 14. e.

i o.	o y.	i o.	o y.
y e.	e u.	o y.	u s.

Hic quia secundarum rationum termini heterologi æquantur: erit per doctrinam multiplicationis proportionum, ut factus ab y e per i o ad factum ab e u per o y. sic i o ad u s. hoc est, è doctrina multiplicationis (quæ longè ab additione diverest) rationum ratio i o ad u s. hoc est, i a ad a u. fit è ratione i o ad o y. & y e ad e u.

Alter casus à Ptolemæo hoc modo demonstratur.

Ducatur rectæ e u per 3. c. 12. e. parallela a s.

Erit itaq; per 13. e. vt i u ad u a. sic y i ad y s. at assumpta deforis recta o y multiplicante ratio i y ad y s. fit è ratione i y ad y o. & o y ad y s. hoc est, o e ad e a per 13. e. Ergo ratio i u ad u a fit è ratione i y ad y o. & o e ad e a.



Poteris & eundē casum ex proportionum multiplicatione contexere, ut & primum. Sunt enim multiplicatæ proportiones

i y.	y o.	i y.	y o.
o e.	e a.	y o.	y s.

Ergo factus ab i y per o e ad factum ab y o per e a est ut i y ad y s. hoc est, i u ad u a.

Atq; hęc exempla hujus elementi Ptolemæus habet. Sunt ve-

 rò plura:

rò plura: ut & Theon ea collegit: quæ ut in promptu ſint hic accipe.

	Facientes.		Facta.	
Antec.	e a.	o i.		
Conſeq.	a o.	i y.	e u.	u y.
Antec.	a o.	e y.		
Conſeq.	o e.	y u.	a i.	i u.
Antec.	u a.	i o		
Conſeq.	a i.	o y.	u e.	e y.
Antec.	e o.	a i.	e y.	y u.
Conſeq.	a o.	i u.		

Quæ ſimiliter arithmeticè facile demonſtrantur: modo id, in demonſtrationibus contexendis, Theonis obſervetur: quod quæ deforis aſſumitur ſit vel parallela alteri duarum quibus interponitur, aut etiam adjungitur: vel pars alterius earundem: vel econtra ut altera harum ſit pars aſſumptæ deforis. Sunt & plures caſus de ſegmentis diverſarum rectarum, in quibus curioſi ſunt Arabes, Thebitius, Alchindus, etiam recentiores ſub nomine regulæ ſex quantitatum. Verum hi per doctrinam proportionum multiplicationis hinc deducti Arithmeticæ peritos non latebunt.

TH. FIN.

TH. FINKII
GEOMETRIÆ ROTVNDI,
LIBER PRIMVS.

De circuli rectis secantibus.

Rotundum est figura cujus radii omnes æquantur.

Geometria nobis proposita est rotundi: quæ benè metiatur rotundum. Hic itaque memor eorum de quibus in Præfatione dixi, necesse nō habeo plura repetere quàm ipsum subjectum mihi propositum requirit. Cum itaque Geometria proposita de rotundo sit: definiri rotundum oportuit: definitione collecta è 15. d. 1. & 14. d. 11. Eucl. Vocatur autem Rotundum pro figura rotunda: ut & vulgò planum, triangulum, quadrangulum pro plana figura, triangula, quadrangula dicimus.



Aequatio autem radiorum omnium peculiaris est rotundo. At æquantur (inquis) etiam radii parallelogrammi 3. c. 6. e. 10. R. Aequantur, inquam, sed non omnes: sed tantum ejusdem dia-

metri aut ſaltem plures diagoniorum, aut ex angulis ductorum, aut rectè ſe ſecantium ut in quadrato: ut in figuris ad dictum Rami elementum patet. Sic & in omni multangulo ordinato radii in angulos æquantur: interim tamen non omnes radii: multi enim ducuntur in latera proindeq; minores iis, qui in angulos tendunt. Et hæc ipſa æquatio è rotundo eſt: quia circulus in angulis circumſcribitur rectilineo.

Itaq;

2. Diametri in rotundo biſecantur radiis æqualibus.

Ratio hujus conſectarii in promptu eſt. Diameter enim eſt duplicatus radius: ſi ergo ex diametro auferas radium reſtabit radius, dimidius diametri.

Et

3. Rotunda diametrorum æqualium ſunt æqualia.

Euclides ſpeciatim de circulo proponit 1. d. 3. at generale eſt ad omne rotundum: ut nempe rotundum rotundo ſit æquale: ſi diameter diametro æquetur: aut radius radio.

4. Rotundum ex iſoperimetris ſui generis eſt maximum.

Sui generis intellige planum aut ſolidum: nempe planum plano ſolidum ſolido majus: Talis eſt circulus in planis, ſphæra in ſolidis.

Elementi autem Veritas patet: Nam ut in planis circulus quolibet rectilineo ordinato, ſic in ſolidis ſphæra ordinatis quibuſlibet corporibus eſt ordinatior: Et ſic Ptolemæus rotundum πολυγωνίαν: Ariſtoteles ὁλυγωνίαν vocat: & Euclides etiam eſſe rotundum polygoniam multorum & infinitorum angulorum 2. p. 3. aſtruere videtur. Et vero axioma illud & principium Geometricum eſt: Ex iſoperimetris homogeneis ordinatius eſt majus, ex heterogeneis ordinatis terminatius. Principium hoc Theon à Zenodoro repetitum in Commentarijs ſuis in Ptolemæum, demonſtrat ad caput ὅτι σφαιροειδῶς ὁ οὐρανὸς φέρεται lib. 1. quod interpreti latino eſt ſecundum: & demonſtrat inductione ſpecierum demonſtratarum: nec poteſt ejus generalior

adduci

adduci demonſtratio: proximo enim genere inter ſe ſpecialia exempla diſsident: itaq; & nos exemplis poſt generale allatum principium contenti erimus ad hoc propoſitum elementum.

Sit itaque triangulum æquilaterum, quadratum circulus æqualis perimetri exempli gratia 24. erit hic latus trigoni 8. quadrati 6.

jam ex libris Rami per 9. e. 12. & 6. e. 11. area trianguli colligitur $27\frac{3}{5}\frac{9}{5}$. quadrati 36. circuli autem aream interius inveſtigabimus $45\frac{9}{11}$.



Sic & in ſolidis ſphæra iſoperimetro cubo, tetraëdro, icoſaëdro, dodecaëdro octaëdro major exiſtit.

Atque hinc Plato dixit, rotundam figuram omnium eſſe perfectiſsimam: ideoque Deum mundum Sphæricum figuraſſe: ut ſuo complexu cuncta contineret.

Ariſtoteles etiam in Mechanicis miraculorum omnium in rotundo cauſam & principium ponit.

Qui ſanè liber adoleſcentibus ſtudioſis debet eſſe commendatus. Aggregent huc ſtudioſi locum Quintiliani ex 10. c. 1. de ψευδογραφία illa: quæ ex ignoratione elementi hujus exiſtit. Qui vel propterea cognoſcendus eſt: ut conſtet quanto cum pudore philoſophos ſe jactent ii, qui elegantem hunc Geometriæ uſum ignorant: cum homini etiam rhetori non ſit ignotus. Et certè infiniti per omnia vitæ genera hinc errores & fraudes exiſtunt:

ſtunt: ſi ἰσοπερίμετρα concipiantur ἰσοχώρια. Hinc enim agrorum fraudulenta dimenſio: Geographia mendax: cum inſulæ numero dierum quibus circumeuntur aut circum navigantur, menſurantur. Menſurarum profectò cylindracea quam cubica plus capit: ut quotidiana etiam plebejos experientia docuit.

5. Rotundum eſt circulus aut ſphæra.

Dichotomia hæc eſt rotundi: qua eſſe contenti poſſumus. Nullum enim præterea rotundum eſt. Nam licet ſphæricum, hoc eſt ſphæræ ſuperficies etiam rotundum ſit: tamen hac diviſione à ſuo corpore non excluditur. Et nos tantùm hîc de duplici illo rotundo agemus.

6. Circulus eſt rotundum planum. *15. d. 1.*

Rectilineum Euclidi definitur planum rectis lineis comprehenſum: & ita circulus figura plana peripheria contenta ſive comprehenſa, cujus radii æquentur. Ea enim plurium verborum eſt ſententia. At hoc modo definitur brevius: Planum eſt quia æqualiter intra ſuos terminos interjacet. Nam ſi peripheriæ multas partes feceris: ex una in aliam ſuperficies ſpatio intra eas comprehenſo æquabitur. Et hoc habet commune cum triangulo quadrangulo &c. At rotundum eſſe: & ab ovata figura & reliquis planis omnibus ſejungit.



Deſcribendi circuli inſtrumentum idem eſt quod fuit peripheriæ: nempe circinus, ſive is crura recta habeat, ſive valga: ſive integra, ſive amputata. At ut illic motus & fluxus puncti in extremo radio peripheriam lineantis conſideratus eſt: ſic hic motus radii totam aream radiantis perpenditur. ut hîc, ſi a e à terminis e a manente a concipias circumvolvi, donec e ad e redeat area lineata eſt, quæ circulus vocatur.

Atq; hæc de circuli definitione: circulorũ cõparatio ſequitur.

7. *Circuli ſunt ut à diametris quadrata.* 2.p.12.

Circuli plana ſunt ſimilia: eorumque latera homologa ſunt diametri. At ſimilia plana habent duplicatam rationem homologorum laterum i.e. 6. R. Et quadrare diametros eſt duplicare rationem homologorum laterum. ut ex Arithmetica doctrina & ratione quadrandi diametros conſtat. Erit itaque ſic circulus ad circulum, ut quadratum diametri prioris ad quadratum diametri poſterioris. Sic circuli a i e diameter ſit 5. circuli verò o u y diameter ſit 4. Quadratum verò illius 25. hujus 16. erit ut 25 ad 16. ſic circulus a i e ad circulum o u y.



Quod ſi diameter eſſet a e quidem 14. o y verò 7. eſſetq; circulus major 154. minor hinc concluderetur eſſe $38\frac{1}{2}$. Nam quadratum de 14 eſt 196. de 7. eſt 49. jam ut 196 ad 49. ſic eſt 154 ad $38\frac{1}{2}$.

Itaq;

8. *Diametri ſunt ut peripheriæ.*

Eſt Pappi theorema 5.l.1.& 26.the.18.ut ſi ſint duo circuli a e. i o. Sitq; peripheria unius 44. diameter 14. alterius peripheria 22. diameter 7. erit, ut 44 ad 22. ſic 14 ad 7. per hoc elementum Peucerus inveſtigat in Geographia rationem arcuum Aequatoris ad parallelorum peripherias.



9. *Geometria circularis simplex aut cōjuncta erit. Simplex est in lineis aut in segmentis circuli.*

Distributio simplicis ex subjectis: assumpta propterea ut materia sparsim apud Euclidem fusa luce aliqua separari posśit. Consideratio autem linearum prima est inscriptarum, & quidem inscriptæ simpliciter, hoc modo.

10. *Si recta duobus in peripheria punctis terminetur: cadet intra circulum.* 2.p.3.

ut hic in subjecto schemate recta a e. Et in promptu causa est è definitione lineæ rectæ: quę brevisśima est intra eosdem terminos: brevior itaq; quam peripheria. Et certe postulatum est: & postulatur ab Archimede quod linea, quod superficies ad easdem partes obliqua non cadat extra. 1. & 2. d. 1. de sphæra. idem in isoropicis postulatur.



Theon vel Euclides imposśibile adhibet ex 16 & 8. p. 1. Atq; hoc elementum docet rationem

inſcribendæ circulo rectæ: ſumptis nempe duobus in peripheria punctis. Sequitur inſcriptio rectæ æqualis datæ.

11. Si à termino diametri ex eaq; radio æquante datam rectam peripheria deſcribatur: recta à dicto termino in concurſum peripheriarum inſcribetur dato circulo, æqualis datæ. 1.p.4.

Euclides mechanicè ſive proplematicè proponit: in datum circulum datæ rectæ, quæ non major ſit diametro circuli, æqualem rectam applicare: intellige tamen inſcribere: & cognita propoſitione præmiſſa conditio illa, quæ non ſit major diametro, eſt ſuperflua.

Sed eſto data recta a. datus circulus e u. jam e o æquetur datæ a. atq; termino e. radio e o deſcribatur peripheria, concurrens cum dato in u. atq; ab e. ſit recta e u. hæc eſt inſcripta æqualis datæ. Nam e u & e o hoc eſt ex fabrica recta a. ſunt radii ejuſdem peripheriæ. Ergo æquantur per 5. c. 5. e. 5 R.



Sequitur jam inſcriptarum Coryphea diameter: cujus hæc eſt inventio.

12. Si inſcripta rectè biſecet inſcriptam: eſt diameter circuli, eiusq; medium centrum. 1.p.3.

Partes elementi duæ ſunt de diametro, de centro. Eſto inſcripta a e. eamq; rectè biſecet per 7. e. 5 R. recta i o u in o Erit i o u. circuli diameter. Nam inſcripti rectanguli diameter communis eſt circulo: At hanc inſcriptā biſecans eſt diameter rectan-

 guli



guli per 3. e. 11. R. Nam biſecta eſt pro latere rectanguli, & ſubtendit etiam biſectam peripheriam: quibus oppoſitæ & inſcripta & peripheria perinde biſecarentur. Atque ita cauſa communis eſt cum 3. e. 11. R.

Sequitur ſecunda pars de centro: quod in medio diametri patet eſſe per 3. c. 5. e. 5. R. & 2. e. in medio enim radii ſecantur æquales.

Euclides impoſsibile maluit, & ita cogit: quæ eſt deductio ad ſententiam abſurdam.

Si centrum non eſt in medio diametri, ſed alibi extra: pars æquatur toti.

At hoc abſurdum. Et illud igitur.

Sit enim centrum ex adverſarii propoſito extra y in s. ducātur itaq; s a. s o. s e. erunt triangula s a o. s o e æqualitera. radii enim s a. s e æquantur: & ex theſi a o. o e æquales ſunt: s o autem latus exiſtit commune. Ergo per 1. e. 7. R. angulus s o a. angulo s o e æquatur. Quare uterque rectus eſt per 8. e. 5. R.

Sed & a o y rectus ex theſi eſt. anguli autem recticruri recti ſunt æquales: quare & angulus a o y. æquabitur angulo a o s. pars toti.

Et ſic de reliquis punctis: Verùm tamen ſi quis oppoſuerit eſſe quidem centrum in diametro, at nō in medio diametri: impoſsibile Euclideum de angulis ad o non ſufficit: quia tum anguli s o a. y o a revera æquabuntur. Verùm objectio eſt contra theſin: datur enim circulus: circulus eſt rotundum: rotundum autem biſecatur radiis æqualibus, & hic centrum eſt.

Itaq;

13 Si duæ rectæ duas inſcriptas non parallelas rectè biſecent: concurſus biſecantium erit centrum circuli. è 25. p. 3.

Sint



Sint inſcriptæ duę non parallelæ y u. & y s. Non parallelę inquam. Si enim parallelæ eſſent: jam una recta biſecás alteram, reliquam etiam biſecaret, ut in præmiſſa patuit, & ita concurſus non fieret: aut ſi concurſus dicendus, is fieri tùm poſsit extra medium licet ut diametro. Has itaq; inſcriptas biſecent recte a e. i o. itaq; erunt per 12. e. diametri: & proinde per 3. c. 5. e. 4 R. centrum in earum erit concurſu.

Et licet

14. *Peripheriam ducere per tria puncta in rectam minimè cadentia.*



Poſtulati fabrica ex 13 e. facilis eſt. Rectas enim inter bina puncta inſcriptas biſecantes duæ in concurſu ſuo centrum habent. Radius eſt à concurſu in punctum. Dentur tria puncta a e i. quæ non cadant in rectam. per ea deſcribenda ſit peripheria. rectas itaq; e i. a e. biſecent duæ concurrentes in o. ubi centrum.

15. Si à termino diametri sit inscripta: recta à reliquo diametri termino in terminum inscriptæ, ei est perpendicularis. *è 31.p.3.*

Sit enim diameter a e, & à termino a. inscripta a i. rursusq; ab altero termino inscripta e i in terminum prioris inscriptæ. Dico e i esse perpendicularē ad a i. ponatur enim angulo a e i. æqualis i e o æquicrurus. Aequabitur ergo per 2. e. 7. R. basis a i basi i o. itaque cum e i. æqualiter interjaceat, per 10. e. 2. R. erit perpendicularis.



Itaq;

16. Si recta infinita secetur à peripheria externi centri in punctis dato & contingente, & diameter sit à contingente: recta à dato puncto connectens diametrum erit perpendicularis super infinitam.

Fabrica perpēdicularis ad rectam datam exposita est 9. 10. e. 5. R. cui & hæc aggregari debet: quia facilis & expedita est. Hinc etiam Mechanici normam suam fabricantur. Sit itaq; infinita a e in eaque punctum datum a. ex qua erigenda sit perpendicularis ad datam. Centro itaq; quocunq; externo verbi gratia ad o. radio vero o a. describatur peri-



pheria

pheria ſecans rectam infinitam etiam in alio puncto quolibet e. jam ab e per o ſit diameter e i. rectaque ab i in a inſcribatur. atque hæc i a eſt perpendicularis ſuper infinitam. Nam eſt inſcripta à termino diametri in terminum inſcriptæ à reliquo diametri termino: & ita norma facta eſt i a e.

Et licet

17. *Per duo rectæ puncta deſcribere peripheriam.*

Nam recta connectens verticem perpendicularis (quam Ramea fabrica inventam huc adduces) ex uno puncto cum reliquo eſt diameter optatæ peripheriæ. ut ſi dentur in præmiſſo ſchemate a & e. perpendicularis ſit a i. recta connectens i & e eſt diameter, in cujus medio eſt centrum o. deſcribendæ peripheriæ.

Et

18. *Si recta à dato puncto faciens angulum cum infinita fiat diameter peripheriæ ſecantis infinitam: recta à dato puncto connectens ſegmentum infinitæ cum diametro erit perpendicularis ſuper infinitam.*

Alia hæc eſt perpendicularis fabrica. ante punctum datum fuit in recta infinita: hic extra datur. ut ſi detur in eodem præmiſſo ſchemate i. tumque recta i e faciens angulum cum infinita fiat diameter peripheriæ ſecantis infinitam in a. jam recta à dicto puncto i. connectens ſegmentum a e cum diametro eſt perpendicularis ſuper infinitam.

Sequitur inſcriptarum comparatio, & quidem in partibus ratio primo æqualitatis.

19. *Si diameter biſecet adiametrum: rectè ſecat: & contra.* 3.p.3.

Eſto, diameter a e ſecet adiametrum i o & quidem biſecet in y. dico etiam ſecare rectè. Ductis enim radiis u o. u i. Triangula

fiunt



fiunt æquilatera: ob æquales radios: æqualia ſegmenta ex theſi: commune ſegmentum diametri u y.

Si æquilatera per 1. e. 7. R. anguli ad y utrinque æquantur: Si æquantur, ſegmentum diametri u y. & proinde ipſa diameter recta ac perpendicularis eſt adiametro per 10. e. 2. R.

Converſa perinde facilis eſt: quod, ſi diameter rectè ſecet adiametrum, biſecet. Nam

Triangula æqua angulo æquicruro ſunt æquibaſia 2. e. 7. R.

At triangula i u y. y u o. æqua angulo æquicruro ad u exiſtunt. Nam anguli ad y ſunt recti ex theſi, & ideo ęquales per c. 8. e. 3. R. & rurſus anguli i & o. in triangulo i u o. per 10. e. 6. R. ſunt æquales. itaq; reliqui i u y y u o æquantur. & ſunt æquicruri quia i u. u o. radii ſunt, & u y commune crus exiſtit.

Ergo triangula i u y. y u o. æquantur baſibus i y. y o. biſegmentis nempe rectæ rectè per diametrum ſectæ.

Sequitur partium inſcriptarum ratio inæqualitatis.

20. Si adiametri interſecantur: ſegmenta ſunt inæqualia 4. p. 3.

Euclides negatione proponit non fore ſegmenta æqualia: & demonſtrat per impoſsibile è 19. e. Verùm res impoſsibili hoc non multum habet opus.

Nam

Si inſcriptæ ſunt biſectæ ſunt diametri. è 2. e. At inſcriptæ non ſunt ex theſi diametri.

Non ergo biſectæ, ſed inæqualiter ſectæ.

Et ſic ratiò in partibus inſcriptarum fuit: ſequitur in iiſdem proportio & quidem ſuo effecto ſignificata.

21. Si

21. Si duæ inſcriptæ interſecantur: rectangulum è ſegmentis unius æquatur rectangulo è ſegmētis reliquæ. 35. p. 3.

Inſcriptæ enim a e. i o. interſecentu in u.

Erit rectangulum a u. u e rectangulo o u. u i. æquale. Nam interſectæ ſunt diametri aut adiametri. Si diametri jam radii erunt ęquales & proinde laterum æqualium ęqualia quadrata.



Sed ſi ſint adiametri. cadat diameter in communē ſectionem y u. Sintq́; perpendiculares y s. y r. Hic per 19. e. biſecantur a e. i o in r & s. jam ſyllogiſmus demonſtrationis hic eſt.



Aequalia eidem inter ſe æquantur:

At oblongum a u. u e. & oblongum o u. u i cum y u quadrato cõmuni eidem radii quadrato æquantur.

Ergo abjecto communi quadrato y u oblongum a u. u e æquatur oblongo o u. u i. Aſſumptio hinc patet:

Quadrata i s. s y æquantur quadrato radii i y. per 5. e. 12. R. At oblongum o u. u i. cum quadratis y s. u s hoc eſt cum quadrato y u.

to y u æquatur quadratis i s. s y. per 6. e. 13. R. & quadrati y s communis utrinq; additione.

Ergo oblongum o u. u i. cum quadrato y u æquatur quadrato radii.

2 Quadrata r e. r y. æquantur quadrato radii y e. per 5. e. 12. R. At oblongum a u u e cum quadratis r u. r y. hoc est per 5. e. 12. R. cum quadrato y u. æquantur quadratis r e. r y. per 6. e. 13. R. & communis quadrati r y utrinq; additione.

Ergo oblongum a u. u e cum quadrato y u æquatur quadrato radii.

Atq; hic significatur proportio partium inscriptarum ex effectis. Est enim effectum proportionis dicta æquatio.

Itaq;

22. Si diameter secet inscriptam: rectangulum segmentorum sectæ cum quadrato segmenti diametri è centro in sectam æquatur quadrato radii. 14. p. 3. Regio. Almag.

Sit enim inscripta o i. eam secet diameter a e. dico rectangulum o u. u i. cum quadrato y u æquari quadrato radii a y.



Nam quia recta a e est bisecta in y. per 2. e. secusq; in u. oblongum a u. u e. hoc est per præmissum o u. u i. cum quadrato y u æquabitur quadrato a y bisegmenti nempe radii per 6. e. 13. R.

Sequitur jam ratio integrarum inscriptarum quam sola diameter totam facit.

23. Inscriptæ æquidistant à centro, in quas à centro perpendiculares sunt æquales. 4. d. 3.

Sic

Sic a e. i o æquidistant à centro: quia perpendiculares in eas u y. u s sunt æquales.

24. Si inscriptæ sunt æquales: æquidistant à centro: & contra. 14.p.3.

Hoc Euclides æquè potuisset postulare benè ut superius: at demonstravit: hoc modo.

Sint inscriptæ æquales a e. i o. jam ducantur à centro u & radii u a. u i & perpendiculares u y. u s. Quare inscriptę bisecātur: ideoq; & dimidia æqualiū y a. i s æquabuntur. Nam proportionalia ad idem sive æquale æquantur. jam quadrata radiorum per 5. e.12.R. æquantur binis quadratis crurum a y. y u. & i s. s u. quæ bina ideo ęquantur: ablatis scilicet radiorū quadratis æqualibus: denuoque quadrata a y. i s. æqualia ex thesi, sunt enim laterum æqualium, tollantur. relinquuntur quadrata adeoque ipsa latera y u. u s per 2.c. 2. e. 12. R. æqualia. Latera autem hæc sunt perpendiculares à centro in inscriptas ex fabrica. Ergo per 23.e. inscriptæ æquidistant à centro.



Conversa eodem ratiocinio probari poterit. Nam quia æquidistant inscriptæ à centro. erunt perpendiculares y u. s u æquales. jam rursus ablatis quadratis radiorum & perpendicularium sigillatim æqualibus relinquuntur quadrata æqualia, & proinde latera a y. i s. proinde & horum dupla sunt æqualia, quæ sunt ipsæ inscriptæ.

25. *Inscriptarum inæqualium diameter est maxima: diametroq; propior major remotiore, remotissima minima: minimæq; propior minor remotiore, duæq; utrinq; à diametro solæ æquantur.* è 15.p.3.

Hic quinq; elementi partes habemus quas ut ordine demonstremus hoc nobis schema præmittatur, ubi diameter inscripta sit cum alijs inscriptis.



Prima pars quod ex inscriptis diameter a e sit maxima hinc patet.

Ducatur è centro radii in terminos inscriptarum l i. l o. Hinc jam ita concludes.

Diameter a l e. æquatur radijs l i. l o. per 2. e. At l i. & l o sunt majores quã i o. per 6. e. 6. R. Ergo & diameter inscripta i o major est.

Secunda quod propior maximæ exempli gratia i o. sit major remotiore u y patet per 4. e. 7. R. Nam Triangulum i l o. est æquicrurum triangulo u l y. quia radii æquantur: sed interim angulus i l o angulo æquicruro u l y est major tanquam totum parte. Ergo & basis i o superat basin u y.

Tertia quod remotissima sit minima, & quarta quod propior minimæ minor sit remotiore consequuntur è prima & secunda. Nam si diameter est maxima: à diametro remotissima erit minima.

Quinta quod duæ solæ utrinq; à diametro æquentur per secundam

cundam patet. Nam si præter i o & s r statuatur tertia æqualis erit eadem inæqualis. Nam diametro propior aut remotior. At hoc est absurdum.

26. Rectarum à diametri puncto non centro, quæ per centrum est, maxima est: propiorq; maximæ major remotiore: reliqua maximæ minima: minimæq; propior minor remotiore: duæq; utrinque ad idem diametri segmentem è dicto puncto solæ æquantur. 7.p.3.

Propositionis hujus etiam plures partes sunt, quas etiam ordine in sequente schemate videbimus.



Prima pars quod rectarum è puncto diametri a. maxima sit e a. eodem modo patet quo prima præmissi. Nam i s. s a. hoc est e s a majora sunt quam i a. per 7.e.6.R.

Secunda quod i a propior maximæ major sit remotiore o a similiter constat. Nam triangulum i s a. æquicrurum triangulo o s a majus est angulo. Ergo & basis i a major est basi o a.

Tertia, quod reliqua maximæ a y sit minima patet. Nam Reliqua æqualis de inæqualibus, datis similiter directè sunt inæqualia. quod axioma Arithmeticum est.

At a y & a u sunt reliqua æqualis nempe communis s a de s a. a u. & s u hoc est s y inæqualibus. per 7. e. 6.R. Nam s a. a u majora sunt quam s u. Ergo similiter sunt inæqualia datis inæqualibus & a u. major quam a y.

Quarta pars, quod minimæ propior a u sit minor quam a o remotior patet per 4.e.7.R. Nam triangulum o s a. æquicrurum triangulo u s a. est majus angulo. Ergo & basis o a. major est quam basis u a.

Quinta quod duæ utrinque ad idem diametri segmentum è dato puncto æquentur patet, nam si angulo u s a sit æqualis a s r.

& latera u s. a s. & a s. s r ſunt æqualia: per 2. c. 7.R. u a. a r æquabuntur: Et quidem ſolę ęquantur, ut impoſsibili conſtat. Si enim nō ſolæ. Sit ergo a l a qualis tertia. ergo per 1.e.7.R. angulus l s a æquatur angulo r s a. totum videlicet parti quod eſt abſurdum. Euclides ait ad utramque partem minimæ ſolas duas æquari: at id tamen commune eſt ad utramq; partem etiam maximæ.

Elementum itaq; generale eſt de puncto quocunq; diametri extra centrū: ſive in diametro ſit, ſive in termino diametri (quod ſpeciatim Commandinus demonſtrat ad 8.p. Archimedis de lineis ſpiralibus) ſi hic notetur minimam in diametro tum non eſſe proindeq;, nec inde utrinq; æquales. Quæ per ſe patent.

Quinta autem pars ſuppeditat nobis conſectarium aliquod. Itaq;

27 *Si punctum in circulo eſt terminus trium rectarum in peripheriam æqualium: eſt centrum çirculi. 9.p.3.*

Euclidea demōſtratio hoc loco duplex eſt. at poſtrema expeditior eſt, & conſectarium è quinta parte.



Nam ſi datū illud & propoſitum punctum a non eſt centrum, à diametri (quę per quodlibet in circulo punctum duci poteſt) puncto nō centro nō ſolum duæ utrinque æquantur: quia hic ex theſi dantur tres æquales ab eodem puncto. Quod tamen contra 26.e. cujus veritas conſtat, infertur.

28. *Rectarum à dato extra puncto in concavum peripheriæ quæ per centrum eſt, maxima eſt: propiorq́; maxima*

mæ ma or remotiore: in cõvexum ſegmentum maximæ eſt minima: minimáq; propior minor remotiore: duæq; utrinq; à maxima vel minima ſolæ æquantur. 8.p.3.

Elementi partes totidem ſunt quot fuerunt 26.e. & demonſtratio ſimillima.



Exempli gratia prima pars eſt, quod à dato extra puncto per centrum in concavũ peripheriç ſit maxima, nempe a o e ea patet. Nam recta à dicto pũct o in centrum a i. & radius in terminũ extra centrum inſcriptæ i y. ſunt maiores dicta inſcripta per 7.e.6.R.

Reliquas partes eodem modo contexes: quas tüæ diligentiæ relinquo.

Habuimus rationes rectarũ à puncto interno & externo inſcriptarum: Eæ angulos faciunt cum diametro: radiis: aut inter ſe: quorum rationes inter ſe hic conſiderare utile & proprium fuerit.

29. *Angulorum rectarum è diametri puncto non centro atque radiorum, maximus eſt rectæ perpendicularis ad diametrum: maximoq; propior maior remotiore: quaterniq; inſcriptarum per datum punctum æqualium duarum & cum radiis & cum diametro æquantur: biniq; utrinq; à diametro æquidiſtant à radiis & ſegmentis inſcriptarum æqualibus comprehenſi.*

Hoc elemento hypotheſium fabricatores nobiliſsimam illam aſtrorum ſcientiam penitus obruerunt: At nos ab exilio in patriam revocare ſtatuimus: nec ita miſerè ad proſthaphæreſes planetarias eſſe aſtringendum, ſed domum eſſe reducendum: quo aliis etiam ſuam operam communicare poſsit.

Elementi

Elementi igitur partes ordine videbimus: prima pars quod angulus maximus ſit è radio & perpendiculari ad diametrum in qua pũctum datum eſt.

Sit diameter e i o. ex ejusque puncto i egrediatur perpendicularis i y. & concurrat ei radius e y. rurſus è puncto i. cũ radio recta faciat angulum i u e. Dico angulum e y i. eſſe majorem angulo i u e. Continuetur enim y i. in m erit y i. æqualis i m per 19. e. ducatur radius e m. itaque per 10. e. 6. R. anguli ad y & m. æquãtur. ducatur & recta u m: erit rurſus



angulus e u m. æqualis angulo e m u. & quia u i major eſt quam y i. hoc eſt i m per 26. e. etiam angulus u m i major erit angulo i u m per 11. e. 6. R. jam ex Arithmetica proportione collige. Summæ ex inæqualibus atq; æqualibus ſunt inæqualibus datis ſimiliter inæquales.

Anguli autem e u i. e m i. hoc eſt e y i. ſunt ſummæ ex majori i m u & minori i u m. & æqualibus e u m & e m u. Ergo &c. atque e y i. major quam i u e. Et ſic de aliis angulis vel proximioribus ipſi y. Nam ſi remotiores ſint minores probabuntur ipſo angulo ad u. qui & ipſe minor eſt angulo ad y. Nec ex altera parte infra y. poterit dari major. Sit enim angulus infra y comprehenſus à rectis e s radio & i s. dico & ipſum eſſe minorem quam ſit angulus ad y. Ducatur recta s m. erit per 10. e. 6. R. angulus e s m. angulo e m s æqualis. Et rurſus in triangulo i s m. quia i m hoc eſt y i eſt major quam i s per 26. e. erit etiam angulus i s m major angulo i m s. per 11. e. 6. R. Hinc per axioma Arithmeticum concluditur.

Reliqua

Reliqua inæqualium de ęqualibus,inęqualibus ſunt reciprocè inæqualia.

At anguli e s i & e m i hoc eſt e y i ſunt reliqui inæqualium majoris i s m.minoris i m s.de æqualibus e s m.e m s.

Ergo &c. nempe e s i minor quam e y i.

Atq; ſic prima conſtat propoſiti pars.

Secunda pars quod propior maximo ſit major remotiore.

Sit enim angulus e y i. propior maximo remotior vero e s i.jam ducta y u per 10. e. 6. R. Anguli e y u. e u y æquantur. Continuetur etiam recta s i recta i u.quæ quia minor eſt quam i y per 26. e. erit & angulus i u y angulo u y i major per 11. e. 6.R. Hinc ita colligitur. Anguli e y i. e u i.hoc eſt e s i.ſunt reliqui majoris i u y minoris i y u. de æqualibus e y u. e u y. Ergo reciproce ſunt inęquales,e y i major i s e minor.



Has partes brevius demonſtrant Regiomontanus , & poſt eum Nonius : Verum à poſteriori per doctrinam ſegmentorum circularium.Vide Epitomen Regiomont. & Annotationes Nonii ad theoriā ſolarem Purbachii.

Tertia pars quod quaterni à duabus per diametri punctum inſcriptis æqualibus & radiis comprehenſi ſint æquales nempe anguli a, y. o. u.



De oppoſitis a.o.& y. u. conſtat per 10.e.6.R.Nam o e.e a. item e y. e u ſunt æquales:quia radii.

De angulis autem o & y. vel u & a.probatur. Quia enim æquales

d ex

ex thesi sunt inscriptæ æquidistant à centro per 24. e. itaq; perpendiculares e m. e n. æquales per 23.e. secant in o. n y æquales: quia sunt dimidia per 19.e. æqualium, & radii e o. e y æquantur. Quare triangula e o m. e y n sunt æquilatera. itaq; per 1.e.7.R. angulus o æquatur angulo y. itemq; u & a. Sic de reliquis.

Quarta: quod quaterni à dictis rectis & diametro æquentur ad i. Nam in figura antecedente primo anguli verticales u i s. s i a. cum p i y. o i p æquantur. Deinde in triangulis e m i. e n i. quia e i æquepotest e n & i n. itemq; e m. m i per 5.e.12.R. ablata quadrata æqualia æqualium e m. e n. de æquali e i. relinquunt quadrata & proinde latera m i. n i. æqualia. Sunt itaq; æquilatera triangula. itaq; angulus m i e æquatur angulo e i n. & u i s &c.

Quinta: binorum crura præter radios, nempe segmenta inscriptarum alterna o i. i y & u i. i a. æquantur. Nam summæ æqualium ad æqualia æquantur. Et i o. i y sunt summæ ex n y. m o æqualibus & n i. & m i etiam æqualibus: ut in præmissis membris est demonstratum Constat tamen & per 26.e. hæc pars.

Sexta: bini æqualium dictorum angulorum o & y. item a & u utrinq; à diametro æquidistant. Nam triangula e i y. o i e sunt æquilatera. & ideo anguli y e i. o e i æquantur, atque reliqui ad duos rectos p e y. p e o. quibus anguli o & y à diametro absunt. Sic & de angulis u & a.

Ex hac autem parte Consectarium aliquod est: quo etiam Astrologi hypothetici utuntur.

Itaq;

30. Perpendicularis è puncto diametri non centro bisecat angulum inscriptarum per datum punctū æqualium.

ut si in præmisso schemate à puncto i. erigatur perpendicularis i t. ea bisecabit angulum y i a. Nam e i t. t i s anguli æquantur: quia recti & e i y. s i a æquantur. id enim jam demonstratum est. Ergo reliqui y i t. t i a æquantur quare totus y i a est bisectus.

31. Angulorū rectarum à dato extra puncto secantium peripherias æquales, maximus est cum recta per centrum: maximoq;

maximoq́; propior major remotiore · duoq́; utrinq́; à maximo soli æquantur.

Et hoc elementum Epicyclicũ est Astrologis.

Esto à dato extra puncto u rectæ u a. quæ centrum cõtinuata transiret, u e. u i secent peripherias æquales a e. e i. dico primo angulum a u e esse majorem angulo e u i.

Secus enim si non est major sit æqualis. si æqualis. fiant anguli u i r. u e s quoq; æquales. erũt ergo triangula æquiangula & per 9.e.7.R. ut u s ad u r sic u a ad u i. At u s major quam u r per 28.e. Ergo & u a major quam u i. Quod est contra 28.e. Ergo angulus i u e non est æqualis angulo i u e.

Potuisset demonstrari alio modo (Nam hæc ὕστερον πρότερον aliquid continere videtur) nempe si angulo e u a ponatur æqualis ad rectã u e. tum is æquatus continebit angulum i u e. Ergo eo est major & proin de a u e esset major eodem i u e.

Reliquæ partes per pręmissã absurdi deductionem aut ἐφαρμόσεως lucem per se patent.

Et perinde est sive rectæ in cõcavum secent, sive in convexum. res enim & rei demonstratio est eadem.

TH. FIN.

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER SECVNDVS.

De lineis circuli tangentibus sigillatim & coniunctim cum secantibus, atque obliquis.

SI recta est perpendicularis extremæ diametro: tangit peripheriam: & contra. è 16.p.3.

Postulatum hoc esset ex perpendiculi definitione: Nam si non tangeret, sed magis hac propenderet aut declinaret peripheriam secaret, nec esset perpendicularis. quod est contra thesin. Euclides tamen cogit.

Sit enim perpendicularis e a extremæ diametro a i. Quod si perpendicularis jam non cadit extra circulum, ut ait Euclides, nec tangit cadat sane intra ad punctum o. & connectatur o i. Tum in triangulo i o a. duo recti erunt i a o quidem ex thesi. i o a. vero ex 10. e. 6. R. At duos esse rectos in triangulo impossibile est per 9.e.6.R. Quare & impossibile est perpendicularem extremæ diametro peripheriam non tangere.



Conversæ demonstratio antecedenti simillima est.

Nam si a e tangit & tamen non est perpendicularis diametro

tro i o u. ducatur à centro o. alia perpendicularis o e. erit angulus o e i rectus,& o i e acutus.

jam quia acutus minor est recto erit per 11. e. 6. R. latus o i. hoc est o y. majus latere o e. pars nempe toto: quod est absurdum.



Itaq;

2. *Si recta est per centrum & contractum: est perpendicularis tangenti: & contra. 18.19.p.3.*

Est è conversa præmissi. Nam recta à centro in contactum vel è cõtactu in centrum est pars diametri. Ideoq; ei tangens est perpendicularis &c.

Et

3. *Punctum contactus est, quo à centro perpendicularis tangenti incidit.*

Contactus fit vnico puncto: & à centro in contactu recta est perpendicularis tangenti: ergo illic punctum contactus esse necesse est. Et

4. *Tangens est singularis eadem parte. è 16.p.3.*

Consequitur ex 1.e.& 10.e.2.R.

Nam perpendicularis est ex eadem parte singularis. Et tangens est perpendicularis, ut jam patuit. Euclides proponit: quod nulla recta cadere possit inter peripheriam & perpendicularem.

Et

5. Angulus contactus eſt minor quovis acuto rectilineo. è16.p.3.

Angulum contactus vulgo vocant angulum contingentiæ: eum ſcilicet qui è tangente & peripheria continetur. Proclo κερατοειδὴς dicitur cornicularis: quia inſtar cornu ex peripheria & recta efficiatur. is minor Euclidi eſt quovis acuto rectilineo. Nam ſi minor non eſſet: caderet recta inter peripheriam & tangentem: quæ cum tangente rectilineum acutum comprehenderet, & proinde corniculari ut toto minorem: At per 4. e. hoc fieri nequit.

Sunt qui de hoc angulo quæſtionem movent: cur ſi angulus contactus magnitudo ſit, ea dividi nequeat: & cum dividi nequeat: angulum hunc magnitudinem eſſe negant. ideoq; ſemicirculi angulum recto rectilineo eſſe æqualem: imo quorumlibet ſemicirculorum angulos æquari. Sed Geometria convincit angulum contactus eſſe minorem acuto rectilineo quovis. Non tamen propterea minimum poſtulamus. ſecari poteſt & dividi Geometricè & quidem infinite: ſed in diviſione ad angulum rectilineum non pervenietur. Poſtulat Euclides in opticis angulum quidem minimum at non geometricum: ſed opticum: ſed phyſicum.

Et

6. Anguli contactus in æqualibus peripheriis ſunt æquales: inæqualium autē minoris cornicularis eſt major.



Hæc ἐφάρμοσις in ſequenti figura ſatis docebit.

Nam angulus a e u & s e y æquantur: & angulus a e u minor eſt angulo o e a minoris circuli.

Quod multo ſanè mirabilius quā 5. e. & verum interim Geometria convincit.

Fallitur

Fallitur itaque Peletarius qui angulos semicirculorum putat esse æquales. Nam si anguli contactuum sunt inæquales: ablati de rectis rectilineis qui fiunt per tangentem & diametrum relinquunt inæquales. Extat Peletarii scriptum hac de re: quod perlegi potest: notari etiam ea debent quæ ab aliis ipsi sunt opposita: & omnia tamen norma Geometrica expendenda.

7. Si à radio ex datæ peripheriæ centro ad datum extra punctum peripheria describatur, & à concursu datæ radii, radio ipsi perpendicularis in descriptam connectatur cum dicto centro recta à dato puncto in concursum datæ & connectentis tanget datam peripheriam. 17.p.3.

Sequitur jam fabrica tangentis & quidem Euclidea hoc elemento exposita. ut data sit peripheria i u. & datum extra punctum e. à quo ducenda sit tangens. jam radio a e. à datæ peripheriæ centro ad datũ extra punctum describatur peripheria e o. & sit in descriptam radio a e. perpendicularis i o. qua connexa ad centrum per rectam a o. ducatur e u. Dico ductam e u tangere datam peripheriam. Nam est perpẽdicularis extremę diametro. Sunt enim triangula e a u. o a i. æqua angulo communi æquicruro. itaq; per 2. e. 7. R. sunt æquilatera & per 1. e. 7. R. angulus a u e. angulo a i o, æquatur: & cum ille ex fabrica rectus sit: erit etiam angulus a u e rectus. Quare cum e u in a o incidens æqualiter interjaceat per 10. e. 2. R. est perpendicularis.



Hæc Euclidea est & Ramea fabrica: & quidem ut apparuit satis laboriosa. Quare faciliorem sic accipe.

8. Si

8. Si recta à centro datæ peripheriæ ad datum extra punctum fiat diameter peripheriæ: recta à dato puncto in sectionem datæ & descriptæ tangit datam peripheriam.

Sit data peripheria u i & datum extra punctum e. jam à centro a ducatur recta a e. quæ fiat diameter describendę peripheriæ e u i. sumpto nempe ejus medio pro centro.

Tum à dato puncto e ducatur recta in sectionem. e u. dico rectam e u esse tangentem quæsitam. Est enim perpendicularis ad u a per 15. e. 1. at u a est diametri datæ peripheriæ pars. Quare u e est perpendicularis extremæ diametro &c.

Hanc fabricã esse faciliorem facile intelligitur collatione. Nam Euclidea rectam à centro ducit: describit peripheriã: perpendicularem fabricat: perpendicularis terminum connectit cum centro: à dato puncto rectam ducit. At hæc rectam ducit: rectæ semissæ radio describit peripheriam: rectam ducit. utere igitur hac fabrica in fabricanda tangente. Atq; ita secantes habuimus & tangentes seorsim: sequitur de simul utroq; genere: & quidem proportio effecto ut ante significata.

9. Si è duabus rectis à dato extra puncto prima secat in concavum, reliqua tangit: oblongum è secante & exteriore secantis segmento æquatur quadrato tangentis: etsi oblongum tale æquatur quadrato reliquæ: reliqua ipsa tangit. 36.37.p.3.

Vogelinus ex effecto causam cõsiderat nempe proportionem in rectis. Verum à posteriori per angulos in sectione alternos secantis & contiguæ. Quare nos Euclidis retinebimus demonstrationes: & effectum ex simili aliquo effecto deducemus.

Secans

Secans igitur tranſit per centrum aut ſecus. Si per centrum tranſit ut hic per u. dico oblongum a e. e o. æquari quadrato tangentis a i. Erit jam radius u i. perpendicularis tangenti per 2. e. Tum quia e o. eſt biſſecta & continuata: per 7.e.13. R. oblongum e a. a o. cum quadrato u o. hoc eſt u i. æquatur quadrato a u.



At quadratum a u per 5.e.12. R. æquatur quadratis a i & i u. jam ab æqualibus oblõgo nempe e a. a o. quadrato i u. & quadratis a i. i u. tollatur æquale quadratum i u. Ergò æquabitur oblongum ductum quadrato tangentis. Si ſecans non tranſeat centrum ut hic in figura: per 12.e.1. invenitur centrum u. tumque per 2.e. u i. tangenti eſt perpendicularis. Ducantur etiam à centro in datum punctum & terminum exterioris ſecantis ſegmenti rectæ u a. u o & perpendicularis u y biſecans o e per 19.e.1.



jam per 7.e. 13. R. oblongum a e. a o. cum quadrato o y æquatur quadrato a y. & utrinque addito communi quadrato y u. dictum oblongũ cum quadratis o y. y u. hoc eſt per 5.e.12. R. cum quadrato o u. æquatur quadratis a y. y u. id eſt quadrato a u: id eſt rurſus quadratis a i & i u. hoc eſt u o. cũ i u & u o ſint radii ęquales. itaq; ſi ab æqualibus oblongo a e. a o. quadrato o u. & quadratis a i. atq; o u tollatur idem &

e æquale

æquale quadratum relinquetur oblongum dictum æquale quadrato tangentis. Et sic de antecedente constat.

Conversa similiter demonstratur in adjuncta figura.



Estó enim oblongum e a. a y æquale quadrato a i. dico a i tangere peripheriam. Ducatur per 8.e. tangens a o. item ducantur a u. & radii u o. u i. Erit itaq; a i. a o. æquales. Nam oblongum e a. a y. æquatur quadrato a o. ex jam demonstratis & a i. ex thesi. Quare quadrata & proinde latera a i. a o. inter se æquantur. Quare triangula a i u a o u sunt æquilatera itaque per 1. e. 7. R angulus a i u. æquatur angulo a o u. At hic rectus est. Nam u o est perpendicularis tangenti per 2. e. Quare & alter, & proinde a i est perpendicularis extremæ diametro i u. itaq; per 1. e tangit.

Itaq;

10. *Tangentes ab eodem puncto sunt æquales.*

Nam ipsarum quadrata eidem oblongo æquantur: proinde sunt ipsa ipsorumq; tandem latera æqualia. Nec possunt esse plures duabus tangentes æquales. Est campani ad 36. p. 3. ut & Consectarium sequens.

Et

11. *Oblonga è qualibet ex eodem puncto secante & secantis exteriore segmento æquantur inter se.*

Quia eidem nempe quadrato tangentis æquantur.

Et

Et licet

12. *Datis duabus rectis alteri continuare tertiam: ut oblongum ex continuata & continuatione æquetur quadrato reliquæ. 127.p.1.Vitell.*

Hoc elementum usq; ad parag. Hinc Regio. proxime antecedere debuit para. sequentis paginæ: Fiat itaq; eo diameter &c.

Hæc inventio sive cõtinuationis fabrica facilis est. altera enim datarum continuanda fit diameter peripheriæ: ex cujus diametri extremitate erigitur perpendicularis æqualis reliquæ datarum: tum continuatio diametri in terminum perpendicularis est tertia quæsita.

Sint datæ rectæ e o. i a. & sit eo continuanda, ita ut oblongum è tota continuata & continuatione æquetur quadrato a i.

a————————i

e——————————o

Hinc Regiomontanus 45. p. 1. de triangulis segmenta basis secta perpendiculari investigat. Esto enim triangulum a e i varium. è cujus angulo a descendat perpendicularis in basin.

Erit jam angulus ad basin uterq; acutus aut alteruter obtusus. Nam rectus esse nequit: crus enim ipsum esset perpendicularis per 2. c. 2. e. 8. R.



Quod si angulus alteruter obtusus est: perpendicularis cadit extra triangulum per 1. c. 7. e. 8. R. Secus cadit intra per 1. c. 8. e. 8. R.



Sed ut ut cadat segmenta basis perpendiculari secta hinc discemus.

E vertice anguli ex quo est perpendicularis radio cruris minoris describatur circulus:ut hic radio a e circulus e y o r.tum latera trianguli continuentur in concavum peripheriæ ut i a in s & i e in figura secunda in o.Sitq; perpendicularis a u in basin datam aut continuatam. Quæritur segmentum u e. Eo enim dato quæstioni erit satisfactum.Quia itaq; oblongum s i. i r æquatur oblógo e i. o i.erit per 5.e.11.R.ut i e ad i s sic i r ad i o. Hoc est Erit ut basis ad summam crurum sic crurum differentia ad differentiam basis & dupli segmenti basis ab angulo, per quem circulus descriptus erat, ad perpendicularem. ut si detur i e basis 21. & crus i a 20.a e 12.erit ut 21 ad 33.sic 7 ad 11.jam 11. de basi relinquũt 10. duplum segmenti minoris erit ergo segmentum basis datæ u e 5. Quod si jam inventus quartus sit major basi Verbi gratia si i a sit 51.& a e 25.e i 38.erit i o 52. tum perpendicularis cadit extra & differentia ut ante basis & inventi est dupla ad u e.quare u e erit 7.

Fiat itaq; eo diameter peripheriæ i o u.atque à termino diametri i erigatur perpendicularis i a.datæ ęqualis.tum continuetur diameter in a. & quia si diametrum u i continuares non caderet in a.eam cótinuare oportet,quę continuata in a.incidat.itaq; poteris applicare regulam ad a. & centrum & rectam ducere in concavum peripherię a e.cujus segmentũ a o est tertia quæsita. Nam & tum data continuanda continuatur: quia est diameter: & diametri æquantur.



Superest jam Geometria circularis de lineis obliquis peripheriis nempe:iisq; solis aut cum rectis: solis intersectis & contiguis.

13. Si

13. Si peripheriæ ſunt interſectæ vel contiguæ: ſunt eccentricæ: illæq; duobus tantū punctis interſecantur, hæ diametros per contactum continuant. 5.6.10.11.12.p.3.

Hæc penè omnia poſtulari poſſent: neq; enim propoſitionis materia potius quam principii eſt. Circulos enim ſe ſecantes aut contingentes vel extra vel intra diverſa habere centra quis eſt qui dubitat? Sed demonſtrationes Euclideæ ex impoſsibili ſic ſe habent. Prima pars de interſectis.

Sint interſectæ duæ peripheriæ i o. o e. Quod ſi ergo commune centrum habent: ſit ſane a. Erunt itaq; a o. a e æquales. itemque a o. a i. per 2. e. 1. & quia e a. a i. eidem æquantur: inter ſe æquantur. nēpe pars toti. Quod eſt abſurdum.



Eadem demonſtratio eſt de contiguis ut in ſequenti figura. ſi ponas commune centrum a. erit a i. æqualis ipſi a o. quia eidem a e radio æquantur. at hoc eſt partem ęquare toti: quod abſurdum eſt. Si peripheriæ ſint foris contiguę res expeditior eſt: neq; demonſtrationē Euclideam meruit.



Quare ſi peripherię ſint interſectæ aut contiguæ ſunt eccentricæ: At (inquis) an non circulo cir-

culum æqualem imponere possem & homocentri cum? an non hic contiguæ peripheriæ homocentricæ? At inquam hic non amplius duo circuli: sed unus est. Nam (ut Vitellio petit) cum plana duo sese contingunt, unum inde efficitur. Et illud est argumentum ἐφαρμόσεως generale, etiã speciale Euclideũ ad 4.8.p.1.

Tertia pars: intersectas duas tantum intersecari duobus punctis duplicem invenit apud Euclidem demonstrationem. At po



sterior è prima parte hujus elementi facilis est ista. Nam si pluribus duob. punctis intersecantur, intersectæ non sunt eccentricę.

Nam invento centro per 12. e. ductæ rectæ in puncta sectionum tres, quia radii unius peripheriæ, æquantur: sed ducuntur etiam in reliquam peripheriam è puncto intra eam eædem tres æquales. Ergo est ibi reliquæ centrum per 26.e.1. itaque habent intersectæ hæ commune centrum. At hoc fieri non potest ut jam demonstravimus: Ergo neq; pluribus duobus punctis intersectę duæ intersecari possunt.

Quarta pars duabus propositionibus ab Euclide proponitur: primò ubi tactus intus est. ut hic sint centra e & a. dico rectam per a & e cadere in contactum u. Demonstratio per impossibile est. Si enim non cadit in contactum: cadat in punctum o. ducatur igitur radius in contactum e u. Hic in triangulo e u a per 7.e.6.R. u e. e a majora sunt quam u a. hoc est quam a o. jam ablato



ablato communi a e. remanet u e major quam e o. Sed u e æquatur e i. quia sunt radii ejusdem peripheriæ. Ergo & e i major est quam e o pars nempe toto: quod est absurdum. idem erit quocunq; continuatio diametrorum cadere dicatur extra cõtactum.

Si tactus extra sit de quo est Eucl 12. p. 3. idem erit. Nam si recta per centra i & e dicatur alio cadere quam in contactum cadat sane in u & o. jam sint radii i u. i a. & e o. e a utrinq; æquales. Sed i a. e a sunt majores quam i e per 7. e. 6. R.



Ergo & i u. e o sunt majores quam i e. partes nempe toto. Vel eadem linea i e major erit i u. o e tanquam suis partibus: & tamen minor iisdem: quia æquantur a i. a e majoribus recta i e. Quod utrumq; absurdum est.

Atq; sic obliquas lineas sive peripherias solas habuimus: De inscriptis autem & peripheriis ratio hæc est:

14. Si

14. Si inscriptæ circulis æqualibus sunt æquales: secant peripherias æquales & contra. 28.29.p.3.

Euclides demonstrat ex posteriori è sectore circuli. At res de-



monstratione non habet opus: ἐφαρμόσει constat. congruant enim circuli: tum & inscriptæ & peripheriæ congruent.

Hinc licet

15. In circulis æqualibus peripheria data unius æqualem abscindere alterius.

Hæc in Messanensi Menelai editione à Maurolyco prima efficitur: & demonstrabilis propositio fit. quæ est ex 14.e. postulatum & fabricæ facilis. Verbi gratia è circulo i o velis abscindere peripheriam æqualem arcui a e. metire inscriptam a e. illa in æquali peripheria i o. subtendet arcum quæsitum.

Ex elemento autem facilis esset error si quis conciperet proportionem inscriptarũ & peripheriarum. ψευδογραφία sanè gravis & periculosa. inscriptæ circulis æqualibus ęquales secant peripherias æquales. Verum est: Ergo si major inscripta, si minor, secat majorem peripheriam, secat minorem. Et id totum verum est. Ergo inscriptæ peripheriis similiter majores, similiter minores, sive proportionales sunt. Falsum id est: ut demonstrat Ptolemæus. Eum igitur de disproportione peripheriarum & subtensarum lib.1. magnę constructionis vide ad caput quod interpreti 9. est. Videbis illic quod ratio majoris peripheriæ ad minorem, major sit: quam majoris inscriptæ ad minorem.

TH. FINKII

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER TERTIVS.

SEgmentum circuli eſt quod comprehenditur extrinſecus à peripheria intus à recta.

Geometria circularis ſimplex poſita nobis fuit in lineis & circuli ſegmentis: lineas hactenus expedivimus: ſequitur circuli ſegmentum, cujus definitio generalis ad ſpecies Euclideas facilius diſtinguendum præmittitur. Rectam intus eſſe dicimus non quod unica illa ſaltem debeat eſſe: aliâs definitio ſectori non competeret. poteſt enim recta eſſe ſimplex aut duplex.

2. *Segmentum circuli eſt ſector aut ſectio.*

Nomina generis & ſpecierum penè eadem ſunt: at definitionibus tamen, ut Euclides fecit, diſtinguemus.

3. *Sector eſt ſegmentum circuli intus comprehenſum à recta duplici faciente angulum.*

Euclides eum ſaltem vocat ſectorem qui angulum contineat ad centrum: verũ nos generatim ſectorem hic definimus: quem poſtea diſtinguemus ex angulo in centro & in peripheria: quos angulos Euclides retinet: nec ſemper ſectorem vocat ſed periphraſi angulum in centro dicit: qui eſt angulus ſectoris in centro. ideo & angulus in peripheria erit angulus ſectoris in peripheria.

4. *Baſis ſectoris eſt peripheria cui inſiſtit.*

Exempli gratia ſit in circulo recta duplex ad centrum a e. i e. erit a e i. ſector: cujus baſis eſt peripheria a i. Eodem modo ſi concurrat recta illa duplex in peripheria.



5. *Anguli ſectorum circulorum æqualium ſunt ut baſes:& contra. 33.p.6.26.27.p.3.*

Euclidis 33. p. 6. generalis eſt quod anguli ſint ut baſes.inde ſpeciales ſunt 26.27.p.3.de æqualibus angulis & baſibus: & quidem utrinq; de angulis in centro aut peripheria.



Sed de angulis in centro ſatis eſt induci. Sint enim æquales anguli in centro a e i & o u y.per 2.e.7.R.baſes a i.o y erũt æquales:ideo ſecant peripherias a i.o y æquales per 14.e.2. itaq; ſi anguli ſint inæquales peripheriæ etiam tanto erunt inæquales. idem erit de angulis in peripheria.Et converſa ſimiliter patebit. Si enim baſes ſint æquales,iis ſubtenſæ æquabuntur per 14. e.2. & tum per 1. e. 7. R. anguli a e i. o u y æquabuntur. & ſic de inæqualibus baſibus induces. Et ſic revera Euclides inducit. Nam poſita propoſitione è 6.d.5. aſſumptionem de ſimili exceſſu aut defectu aſſumit à nulla præexiſtente demonſtratione.

Itaq;

Itaq;

6. ut sector ad sectorē sic angulus ad angulū. ad 33.p.6.

Sic ut se habet a e i ad o u y. sic angulus a e i. ad o u y.

7. Sector est in peripheria aut centro.

Euclides habet angulum in centro & peripheria: illum sectori in centro tribuit: ergo & hic sectori in peripheria tribuetur.

8. Sector in peripheria est cujus recta facit angulum in peripheria: in centro, cujus recta facit angulum in centro. 9.d.3.

ut in præmissis figuris a s i. o r y sunt sectores in peripheria: a e i & o u y in centro. Sed, inquis, nō omnis sector in centro continetur à recta faciente angulū ad centrū ut sector i s e a. segmentum scilicet reliquum circuli de sectore i e a. Fateor quidem Archimedi segmentum hoc dici sectorem majorem: verum nos Euclidis definitioné retinuimus: & pars ea interjecto radio in duos sectores secari potest: ut postea secatur in geodæsia. itaq; minimum sectores in centro tres sunt.

9. Si sector in centro in eandē basin insistat cū sectore in peripheria: angulo suo duplus est anguli sectoris in peripheria. 20.p.3.



Exempli apud Euclidem varietas triplex est. primū cum angulorum diversa sunt latera ut hic

Angulus e o i. & e a i. basi cóveniant: dico angulum e a i. duplum esse anguli e o i. ducatur enim diameter o u. fient utrinq; triangula æquicrura o a e & o a i. itaque per 10. e. 6.R. angulus a o e. & e

æquan-

æquantur item anguli a o i. & i. jam per 2. c. 9. e. 6. R. angulus e a u æquatur interioribus duobus æqualibus quare anguli ad o duplus eſt: eodem modo angulus u a i æqualium duorum alterius etiam anguli a o i duplus eſt. itaq; totus e a i. duplus eſt totus e o i.

Secundum exemplum ubi angulorum duo latera ejuſdem rectæ nempe diametri ſunt. ut in hac figura angulus e duplus eſt anguli o. ob eandem cauſam. Nam o e. e i. æquantur per 2. e. 1. Ergo anguli o. & i æquantur: ſed his æquantur angulus a e i. Ergo alterius duplus eſt.

Tertium exemplum eſt ubi angulus in peripheria non continet angulũ in centro. ut in adjuncto ſchemate.



Sit angulus in centro a e i. communis baſis cum angulo a o i. dico angulum a e i eſſe duplum a o i. Ducatur enim diameter u e o. Hinc ita: Si ſit ut totus ad totum, ſic ablatus ad ablatum: erit ut totus ad totum ſic reliquus ad reliquum.

At ut totus u e i ad totum angulum e o i, ſic ablatus a e u ad ablatũ e o a. Nam totus u e i. æquatur interioribus e o i. & o i e æqualibus: quare duplus eſt alterius verbi gratia anguli e o i. Rurſus ablatus a e u. æquatur angulis e o a. & o a e æqualibus. quare duplus eſt anguli e o a. Ergo reliquus a e i ad reliquum a o i eſt ut totus ad totum duplus.

Itaq;

10. *Si angulus in peripheria æquetur angulo in centro: eſt duplus baſi.*

Veritas

Veritas & ratio consectarii manifesta est: & hinc patet æquatio angulorum in centro & peripheria.

11. Sectio est segmentum circuli intus comprehensum ab una recta, quæ basis sectionis dicitur. 19.d.1.

ut hic sectiones sunt.



12. Sectio absolvitur invento centro. 25.p.3.

Absolvere circuli sectionem est datæ sectionis circulum describere. id fit invento centro. centri inventio exposita est 12. 13. 27. e.1.

ut esto sectio a e i. absolvenda. Secetur itaq; basis a i. rectè & bifariam. Nam recta bisecans erit diameter per 12.e.1. prętereà à termino basis a. inscribatur recta a e. quæ etiã bisecetur rectè: & hæc recta erit diameter. itaq; concursus y erit centrum circuli per 13. e.1. quo dato & radio noto sectio absolvitur.

Euclidis fabrica paulo aliter fit. primam diametrum dicta jam ratione ducit. deinde terminum hujus diametri notum, ut exempli gratia hic e connectit cum termino baſis a. Quod ſi jam recta ducta cum dictis terminis claudat angulos æquales, hoc eſt per 10. e. 6. R. ſegmentum diametri à puncto biſectionis nempe y e & biſegmentum baſis a y æquentur: punctum biſectionis eſt centrum abſolvendi circuli per 27.e.1. Nam ab eodem puncto in peripheriam tres rectę, biſegmenta baſis a y. y i. & ſegmentum diametri y e æquantur. Sin recta ducta a e concludat angulos inæquales, hoc eſt per 11.e.6.R. ſi biſegmentum baſis a y & e y ſint inæqualia: angulum qui eſt ad terminum baſis æquat reliquo: atq; tum anguli æquati crus inventum concurrit cum diametro in centro deſcribendi circuli. per 26.e.1.

Sed triplici hac methodo non eſt opus: generalis è 13. e. 1. ſufficit.

13. Peripheria ſectionis biſecatur perpendiculari biſecante baſin. 30.p,3.

ut ſit ſectio a o e biſecanda.

Biſecetur igitur baſis a e: & ducatur perpendicularis per 7. & 9. e. 5. R. dico à perpendiculari biſecari peripheriã in o. Ducantur enim rectæ a o. e o. erunt triangula a i o & o i e æqua angulo æquicruro ad i. nempe recto. Ergo per 2.e.7.R. æqua baſibus a o & o e. quæ ideo per 14.e.2. ſecant peripherias a o & o e æquales.



Angulus in ſectione eſt angulus comprehenſus à duabus rectis è baſis terminis ſibi in peripheria conterminis. 8.d.3.

ut in

ut in ſuperiore figura rectæ a o. e o è terminis baſis a & e ſibi in peripheria ad o conterminis comprehendunt angulum in ſectione. Sequitur ratio ſectionis in angulis. Et primò ſectionis unius.

15. Anguli in eadem ſectione ſunt æquales. 21.p.3.

Eſto ſectio a e u o & in ea anguli ad a & u.

Dico angulos a & u æquari. Veritas patet ex 5.e. Nam anguli ſectorum æqualium circulorũ itaq; & ejuſdem circuli (quo ἐφαρμό-σιως genere etiã Euclides 30.p.3. utitur) ſunt ut baſes: quæ hic æquantur: eſt enim tantũ una. Quare anguli a & u æquantur. Et hinc concludes angulũ in ſectione eſſe angulum ſectoris in peripheria: cujus baſis à baſi ſectionis ſubtendatur.



Euclides demonſtratio hæc eſt, ex axiomate arithmetico: proportionalia ad idem æquantur: At anguli a & u ſunt proportionales ad idem nempe dupli ad angulum y in centro per 9.e.

Ergo anguli a & u æquantur. At demonſtratio tantum ſpecialis eſſe angulorum in majore ſectione videtur.

16. Si duorum angulorum in ſectione vertices connectantur: rectangulum crurum ſe ſecantium æquatur rectangulis crurum reliquorum, & baſis atque cnnnectentis. 9.c.1.Ptolem.

Eſto ſint in ſectione a e i o. duo anguli ad e & i, qui connectantur recta e i: & ita erit quadrilaterum a e i o inſcriptum, de quo Ptolemæus loquitur.

Dico rectangulum a i. e o æquari rectangulo a e. o i & rectangulo a o. e i.

Ponatur



Ponatur enim per 5. c.6.e.3. R. aut absoluta sectione per 5.e.angulo o e i æqualis a e u.

Jam Syllogismus demonstrationis hic esto.

Rectangula e o.u i & e o.a u æquantur rectangulis a o.e i.& a e.o i.

At rectangulum a i.e o æquatur rectangulis e o.u i & e o. a u. per 4. e.11.R.

Ergò rectangulum intersectorum crurum a i.e o æquatur rectangulis a o.e i.& a e.o i.

Assumptio probatione alia non eget. Nam rectangula e o.u i & e o. a u sunt è latere uno rectanguli a i. e o & reliqui segmentis. Ergo toti æquantur. Propositio igitur demonstranda erit: Sic ergo:

Bis bina triangula e i u. e o a. & a e u. o e i sunt æquiangula. illic enim anguli a e o. u e i ex additione æqualis sive communis u e o.ad æquales i e o. a e u ex thesi,æquantur: Anguli vero e i u. & e o a per 15. e. æquantur: reliqui ad u & a per c.3.e.7.R. erunt æquales.

Hic vero anguli a e u. o e i ex fabrica,ad a & o ex 15.e.reliqui ad u & i per c.3.e.7.R.æquantur.

Itaque sigillatim bina cruribus sunt proportionalia per 9.e. 7.R. Eritq; illic

ut a o ad u i sic e o ad e i.

Hic vero & alternè

ut a e ad a u sic e o ad o i.

Itaq; per 5.e.11.R.illic rectangulum u i.e o rectangulo a o.e i. hic vero rectangulum a u.e o rectangulo a e. o i æquabitur. Atq; ita syllogismi constat propositio.& elementi veritas.

Habuimus itaq; considerationem solius sectionis: plurium ratio itidem in angulis jam sequitur.

17. *Anguli*

17. Anguli in oppositis sectionibus æquantur duobus rectis. 22.p.3.

Euclides hic, ut in præmisso elemento Ptolemæus, inscripti quadrilateri meminit. At aptius elementum proponetur ab oppositis sectionibus resectis nempè inscripta: nihil enim adhuc de inscriptione fuit.



Sint ergo oppositæ sectiones o i e & o a e. dico angulos in sectionibus o a e & o i e. æquari duobus rectis. Nam æquantur tribus trianguli e o i. Etenim angulus i primo sibi ipsi æquatur. deinde e a o. æquatur angulis o e i. & e o i suis nempe partibus. quia o a i æquatur angulo o e i. & e a i æquatur angulo e o i per 15.e. At trianguli tres anguli per 9.e.6.R. æquantur duobus rectis.

18. Anguli in oppositis sectionibus æquantur alternis angulis secantis & contiguæ. 32.p.3.

Euclides & cum eo alii nonnulli elementum hoc doctrinæ cujusdam sectionis nempe semicirculi postponunt. At ego memor quos mihi in syntaxi hac cancellos circumdederim, quod sectionis erat in genere, præmittere volui.



Sint ergo oppositæ sectiones e i o. & e a o tangens vero u e y.

Dico angulum o a e æquari angulo o e y. & angulum o i e æquari angulo o e u. Quod si e a non sit diameter, fiat sane diameter ob demōstrationem. manebit enim angulorum in sectione æqualitas per 15.e. jam quod ad primam æquationem attinet tres anguli

a e u. a e o. o e y æquantur duobus rectis per 1. c. 8. e. 5. R. At duobus rectis æquantur etiam anguli e a o. a o e. a e o. per 9. e. 6. R. jam ab æqualibus his auferantur primo communis a e o deinde recti (qui etiam æquales sunt) a e u. ex thesi, quia u e y tangens est, & a o e rectus per 15. e. 1. & 8. e. 3. R. relinquentur ergo æquales e a o. o e y. Deinde quod ad alteram æquationem: anguli ad a & i æquantur duobus rectis per 17. e.

At duobus rectis etiam æquantur anguli o e u. o e y per 1. c. 8. e. 5. R. ablatis ergo æqualibus angulo a & o e y relinquuntur æquales ad i. & angulus o e u.

Hinc Euclidi sequuntur duæ propositiones mechanicæ sive problematicæ: quæ nobis hinc sunt consectaria specialia.

Itaq;

19. Si ad terminum datæ rectæ æquetur angulus rectilineus dato, & ab æquati vertice perpendicularis reliquo lateri concurrat cum perpendiculari à medio datæ: concursus erit centrum circuli per æquatum angulum descripti, in cujus opposita sectione super datam angulus æquabitur dato. è 33. p. 3.

Esto recta e i & datus angulus a. jam sit describendus circulus per angulum dato æqualem ut super rectam constituatur angulus dato æqualis in sectione: quod Euclides proposuit.



Fiat

Fiat itaq; ad terminum e angulus o e y æqualis dato : & à vertice e item medio datæ rectæ y concurrant duç perpendiculares e u. y u in u. Dico ibi esse centrum circuli per verticem æquati anguli describendi : atque angulum in opposita sectione e u i. nempe e s i æquari dato. itaq; si angulus datus rectus sit data, recta est diameter circuli optati: & proinde centrum datur. in acuto angulo & obtuso demonstrabitur simul.

Concursus diametrorum habet centrum.

At concursus dictarum perpendicularium est concursus diametrorum. Nam perpendicularis à vertice anguli est diameter per 2.e.2. item perpendicularis à medio basis per 12.e.1. Ergo concursus perpendicularium erit centrum.

De angulo in sectione simili argumento in triplici angulorum genere concludes. Nam angulus in sectione opposita æquatur angulo o e y per 18.e. At angulus o e y æquatur dato. Quare hinc licet super datam rectam sectionem describere, quæ capiat angulum rectilineum æqualem dato.

Et

20. *Si angulus secantis & contiguæ æquetur dato angulo rectilineo: angulus in opposita sectione eidem pariter æquabitur. 34.p.3.*

Euclides proponit: à dato circulo secare sectionem quę angulum contineat æqualem dato angulo rectilineo.

Fabrica itaq; hujus in dicto elemento exposita est. Sit datus angulus a. & circulus e i o. Secanda jam sit optata sectio. Ducat̃ itaq; ad punctũ e tangens y e u.



jam è puncto e recta faciens angulum o e u æqualem dato secat sectionem e i o quæ contineat angulũ o i e æqualem o e u: per 18 e. hoc est angulo dato. Ratio sectionis ita est: similitudo sequitur

21. *Si sectiones capiunt angulos æquales: sunt similes. è.10.d.3.*

Euclides definitionem hinc 10. fecit vel 11. ut Cōmandini fert exemplar. Sed non tam definitio eſt quam è definitione generali ſimilium figurarum conſectarium.

ut hic a e i. o u y.



Hinc peripheriarum & baſiū conſequitur proportio, ut Pappus ait 13. the. 5. lib. Et triangula inſcripta quia ſunt æquiangula ex theſi, erunt etiam ſimilia. per 9. e. 7. R.

22. *Si ſectiones ſimiles ſunt in æquali baſi: ſunt æquales.* 23. 24. p. 3.

Euclides hinc fecit duas propoſitiones: diligentius tamen examinatæ in idem recidunt. Nam prior negans in affirmatam mutata idem enunciat quod ſequens affirmata. Demonſtratio eſt per abſurdū. Nam ſi nō ſunt æquales in æquali ſive eadē baſi:

Sint inæquales ut ſectio a i e & a o e.

Itaque anguli a i e. a o e per 21. e. ſunt æquales. At per 4. c. 9. e. 6. R. angulus a i e eſt major angulo a o e. Quare nō poſſunt eſſe ſectiones inæquales ſi ſimiles ſint in eadē baſi.



Rurſus ſint ſectiones ſimiles in æqualibus baſibus a o e & a i e. Dico eſſe æquales.

Id Euclidi demonſtratur per ἐφάρμοσιν: & abſurdum.



Nam

Nam a e ſibi congruunt. Sectio autem ſectioni etiam cõgruet. Secus intus cadet aut extra, aut partim extra partim intra.

At hoc eſt cõtra primam partem. quia ſectiones ſimiles in eadem baſi (qualis hic per ἐφαρμόσιν eſt) non eſſent æquales. præterea circulus circulnm ſecaret in pluribus punctis quam duobus: nempe in terminis baſis & loco aliquo in peripheria ubi cadit extra: at hoc fieri nequit per 13.e.2.

23. Angulus ſectionis eſt qui comprehenditur à terminis ſectionis. 7.d.3.

Sic in præmiſsis ſchematis angulus o a e. & o e a ſectionis angulus dicitur: comprehenſus ſcilicet à peripheria & baſi.

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI, LIBER QVARTVS.

De cruribus anguli in ſemicirculo.

SEctio eſt ſemicirculus aut inæqualis ſemicirculo.

2. Semicirculus eſt ſectio dimidia circuli.

Itaq;

3. Semicirculus comprehenditur à peripheria & diametro. 18.d.1.



Sic a y i vel a e i eſt ſemicirculus. nempe dimidia ſectio circuli. comprehenditur autem à diametro & peripheria: quia circulus non niſi diametro biſecatur.

o y u eſt major ſectio.

o e u eſt minor ſectio.

4. Angulus in ſemicirculo rectus eſt, ſemicirculi minor recto rectilineo, major quovis acuto: in maiore ſectione eſt minor recto, majoris major: in minore major, minoris minor. è 31. 16. p. 3.

Elementi partes ſunt ſeptem. prima angulum in ſemicirculo eſſe rectum, ut hic angulum a e i: patet per 15. e. 1. Nam a e, i e è diametri terminis ſibi conterminantur in peripheria. Ergo per 15. e. 1. ſunt inter ſe rectæ: & proinde per 8. e. 3. R. angulus a e i eſt rectus.



Poterit & hoc modo demonſtrari dimiſſo radio e o. quia a o. & o e æquantur: anguli a o e. & o e a æquantur per 10. e. 6. R. eodemque modo o e i & o i e. Quare totus a e i æquatur duobus e a i. & e i a. At ſi angulus trianguli ęquatur reliquis rectus eſt per 1. c. 3. e. 8. R.

Ariſtoteles hanc Geometriam in organo logico & philoſophia comprehendens angulum in ſemicirculo rectum dicit: propterea quod ſit dimidius duorum rectorum: nempe angulus a e i eſt rectus, quia eſt dimidius duorũ ad o qui æquátur duobus rectis. vel ſi a e cõtinuetur: ſiunt recti duo: ergo unus eorum dimidius.

Secunda pars, quod angulus ſemicirculi ſit minor recto rectilineo: patet ex eo quod ſit pars recti rectilinei: qui ſit è tangente & diametro.

Tertia: quod ſit major quovis acuto patet per 4. e. 2. ſecus ſi non eſt major: tangens non erit ſingularis eadẽ parte: ſed cadet quædam inter circumferentiam & tangentem quæ faciat angulum acutum majorem. At hoc fieri nequit.

Quarta angulum in majore ſectione eſſe minorem recto patet. ut hic angulum a i e. Nam in triangulo ſaltem poteſt eſſe re-



ctus unus. Quare cũ e a i. tanquam in ſemicirculo ſit rectus. a i e erit recto minor. Et ſi crus neutrum ſit per centrum: conſtitui tamen poteſt angulus, cujus crus ſit diameter: angulus tamẽ ęqualis, nempe in eadem ſectione.

Quinta, angulum majoris ſectionis i a e eſſe majorẽ recto patet, quia rectum rectilineum continet qui eſt ad a in triangulo i a e.

Sexta ſic patet: angulus in minore ſectione e o a eſt major recto: quia cum angulo in oppoſita majori ſectione a i e æquatur duobus rectis per 17. e. At angulus a i e eſt minor uno recto. Quare angulus e o a eſt major recto.

Septima: angulus minoris ſectionis o a e eſt minor recto: quia eſt recti pars. quemadmodum patet ſi protrahatur latus a i. fiet angulus exterior e a s rectus per 15.e.1.& 8.e.5.R. & hic angulum minoris ſectionis continet.

Atq; hæc Geometria eſt angulorum ſectionum circularium, ubi ſingularis & mirifica patet peripheriæ natura. Datur in circulo major recto: datur minor recto illic in majori hic in minori ſectione. Ecquid igitur negabis (inquiunt qui ſemicirculi angulum rectilineo recto æqualem volunt) in æquali ſectione quæ eſt inter majorem & minorem etiam angulum inter majorem & minorem nempe rectum dari. Cur ni, inquam, negarem? an tu contentum continenti æquale facies, partem ſcilicet toti? an non rectum rectilineum eſſe didiciſti diametri & tangentis? rurſus an non inter diametrum & tangentem peripheria ſecat angulos

gulos duos? horum ne alterum ut toti parem facias lumen naturæ insitum docuit?at(inquis)inter tangentem & peripheriam nihil intercipitur:nulla interjacet magnitudo. Cur id non probas?an non supra lib. 2. te docui interjacere magnitudinem & quidem infinitè dividuam?an non ἐφάρμοσιν documentum mathematicum hac in re tibi proposui? Sed vide quid tibi largiar: petis angulum semicirculi esse rectum: quod si nihil aliud petis:dabo tibi. Nam rectus est in suo genere:& sic recti in sphæra dicuntur, & medius inter majorem & minorem sui generis est: sic perpendiculum sic angulus rectus generatim definiuntur. At ideo rectum rectilineum esse contendis? aut recto saltem rectilineo æqualem? id tibi non datur: cur non detur intellexisti. At nec id tibi concedi potest angulos semicirculorum esse sibi æquales: sed Geometria nobis imperat ut inæquales statuamus. Si enim de æqualibus exempli gratia rectis recticruris tollantur inæquales anguli tangentium & peripheriarum inæqualium, relinquuntur anguli semicirculorum inæquales. At(inquis)quis tibi dedit angulos illos cōtactuum in peripheriis inæqualibus esse inæquales: id, inquam, ἐφάρμοσις Geometrica 6.e.2. me docuit.

Videatur itaq; sane res mira: dari majus, dari minus, & dari id inter quod æquale: æquale tamen non dari: vera tamen interim habeatur: verum, inquam, statuamus rectum rectilineum angulo semicirculi majorem. Sic mira est res in ratione inscriptarum dari rationem æqualitatis, rationem inæqualitatis utriusq;: non tamen dari proportionem. interim veram tamen Ptolemæus convincit.

Sed ad opes anguli nostri in semicirculo revertamur: quæque inde oriantur videamus.

Itaq;

5. *Si duæ rectæ diametro circuli contermine contermi-nentur in peripheria: comprehendunt angulum rectum.*

Fiet enim angulus in semicirculo: & angulus in semicirculo rectus est. Hinc Vogelinus 2. p. 2. sui elementalis quærit centrum

trum circuli. Nam inscribit in circulum datum duas inscriptas inter se rectas: quæ crura recti sunt: ea connectit basi recti: quę est diameter: in cujus medio centrum est. Atq; sic quartam habemus centri inventionem.

Et

6. Si duarum rectarum major fiat diameter circuli, minorq; majori contermina & inscripta connectatur: major plus poterit quam minor quadrato cõnectentis. ad 13.p.10.

Lemma duplex assumitur ad 14.p.10. in trãslatione Commandini: datis duabus rectis invenire quantum major sit potentior minore: & quæ possit utramq;. At intellecto primo secundum ex 5. e. non erit obscurum.

Esto sint duæ rectæ a e & a i. quæritur quantum major possit plus quam minor. Respõdetur hoc elemento. Fiat itaq; major a e diameter circuli: & à termino diametri inscribatur a i. cõnectaturq; cũ reliquo diametri termino e. dico a e plus posse quam a i potentiã e i. Nam triangulum a i e fit rectangulum per 4.e. Ergo per 5.e.12.R. basis a e æque potest cruribus: proindeq; plus potest quam a i quadrato e i. Atq; hinc licet trium ejusmodi rectarum datis duabus tertiam invenire. Et sic Ptolemæus 9.c.1. data diametro & inscripta, reliqui arcus ad semiperipheriam chordam investigat. Exempli gratia si a e major esset 20. a i vero 16. potentia a e est 400. potentia vero a i est 256. Ergo potentia e i est 144. ejusq; latus nempe recta e i erit 12.





Et

7. Si recta continuata è duabus rectis fiat diameter circuli: perpendicularis à puncto continuationis in peripheriam erit proportionalis inter datas. 13.p.6.

Ex iis quæſtionibus quæ Mathematicos veteres valde exercuerunt: non poſtrema fuit ea quæ de cubi eſt duplicatione. Eam ad rem tandem ab Hippocrate Chio è mercatore Mathematico Meſolabium inventum tota poſteritas approbavit. At Meſolabium illud inventio erat duarum mediarum continuè proportionalium: cujus uſus ad quælibet corpora optata ſimilia fabricanda poſtea traductus eſt. Quare & ratio inventa eſt deſcribendi & fabricandi ſuperficies ſimiles: & id quidem per unam mediam: cujus fabrica etiam Meſolabium dici poſſet aut Meſographus. Fabrica autem è theſauris anguli in ſemicirculo depromitur. Sint enim duæ rectæ a e & e i. quibus invenienda ſit media proportionalis.



a————————e
e——i

Continuentur itaq; in unam rectam: è cõtinuata a i fiat diameter circuli i o a. è puncto continuationis e erigatur perpendicularis e o. in peripheriam: dico ut a e eſt ad e o. ſic eſſe e o ad e i. Nam perpendicularis in triangulo ab angulo recto in baſin eſt proportionalis inter ſegmenta baſis 1.c.4.e.8.R. At e o eſt perpendicularis in triangulo ab angulo recto, quia ſemicirculi, in baſin.

Hinc trium harum rectarum datis duabus in numeris tertia invenietur ex doctrina continuæ proportionis & inventionis lateris quadrati. ut ſi verbi gratia a e eſſet 24. & e i eſſet 6. erit e o 12. Nam 24 per 6 facit 144. cujus latus eſt 12. Sic ſi detur i e 6. & e o 12. jam multiplica 12 per ſe, factum 144 diuide in 6. quotus 24 eſt longitudo a e. Itaq; hinc licet

8. *Rectilineo conſtituere æquale quadratum.* 14.p.2.

Nam datum rectilineum aut oblongum eſt aut triangulum & alias triangulatum. Si oblongi latera continuata fiant diameter: è puncto item erigatur perpendicularis: ea erit proportionalis inter

inter latera oblongi.itaq; per 4. e. 12. R. latus quadrati æqualis dato oblongo. ut ſi ſit oblõgum decempedale: cujus latera ſint pedum 10. & 1. tum latus pedum 10 continuetur cum latere pedis unius: proportionalis media erit latus. ut in adjuncta figura.



Si rectilineum præter oblongum detur aliud: oblongo æquari neceſſe eſt per 1. & 2. c. 10. e. 10. R. Tum oblongo æquato æquale quadratum, dato rectilineo æquabitur. ut ſi triangulo a. velis conſtituere quadratũ æquale. per 1. c. 10. e. 10. R. fiat oblongum e i o u æquale dato triangulo. jam latera e i. i o fiant diameter, erit i y latus quadrati quæſiti.



Campanus addit rationem ſecandi datarum majoré ut inter ſegmenta minor ſit proportionalis: at fabrica eſt ſpecialis. nam quantitas minoris determinatur ne ſcilicet major ſit quam dimidia majoris. Fabrica ſic eſt.

Et

9. Si duarum rectarum major minimum dupla minoris fiat diameter circuli, minorq́, extremæ diametro perpendicularis connectatur cum peripheria per rectam diametro parallelam: recta à connexione in diametrum perpendicularis ſecat ſegmenta quibus proportionaliter minor interjacet.

Eſto recta major a i minor i e quæ ſummum dimidia ſit majoris. Nam ſi



major

major ſit verbi gratia ſubſeſquialtera ab ejus termino diametro parallela nunquam cum peripheria concurret: cum radio peripheriæ major ſit.

jam ſit ita major ſecanda ut inter ſegmenta minor ſit ꝓportionalis media. fiat itaq; major diameter, aq; termino ejus i. minor erigatur perpendicularis, atq; terminus



e connectatur cum peripheria per rectam e o diametro parallelam. tum à termino connexionis o. ſit perpendicularis. jam per 7. e. o y hoc eſt per 5.c.12.e. 5. R. data e i eſt proportionalis inter a y. y i. ſegmenta majoris. Hinc licet rectangulum, cujus latera conditiones elementi admittant, ita ſecare ut rectangulum è ſegmentis certis majoris, æquetur quadrato minoris. Quæ res neceſſaria ſæpe eſt in dividundo agro rectangulo aut ſimili re inter hæredes.

10. Perpendicularis à puncto biſectionis peripheriæ cruris anguli in ſemicirculo in diametrum, ſecat ſegmentum dimidium differentiæ reliqui cruris & diametri. 9.c.1. Ptol.

Eſto angulus in ſemicirculo e a i. atq; à puncto biſectionis peripheriæ a i deſcendat perpendicularis o u. duo ſegmentum diametri u i eſſe dimidium differentiæ reliqui cruris e a hoc e y & diametri, hoc eſt eſſe dimidium recta y i.



Ducantur enim a o, o i, o y, o e. jam quia in triangulis a e o, o e y. anguli ad e æquales ſunt ex theſi & 5. e. 3. & æquicruri: æquabitur baſis a o, baſi o y per 2. e. 7. R. ſed a o ex theſi & 14. e. 2. ęquatur recta o i. ergo triangulum y o i æquicrurum eſt in baſi: & proinde per

2. e. 7. R.

2.e.7.R.perpendicularis o u biſecat baſin y i. Quod ſi jam e i ſit 20.a i vero 16.erit a e 12.& proinde u i 4.

Itaq;

11. Si radius biſecet crus anguli in ſemicirculo: ſegmentum radii inter centrum & crus dictum eſt dimidium reliqui cruris. 4.th.1. Copern.

Eſto rurſus in ſemicirculo angulus e a i. atq; crus a i biſecetur à radio s o in m. dico ſegmentum s m eſſe dimidium ipſius a e. ponatur enim e y æqualis rectæ e a. jam hæc ſit demonſtratio. Recta u s eſt dimidia rectæ a e.



Nam ea æquatur rectis e s, s y ex theſi, hoc eſt i s, s y. atqui y u, i u æquantur. quare addito cõmuni s y. erit s u item s y cum i u ſemiſsis i s & s y hoc eſt a e.

At s m æquatur ipſi s u. Nam tringula o s u, i s m cum rectos habeant ad u & m & angulum s communem erunt æquiangula: & per 9.e.7.R.cũ s i æquetur ipſi s o & s u æquabitur ipſi s m. Ergo s m eſt dimidia rectæ e a.

Copernicus facilius ſic demonſtrat. Quia duo triangula a e i, s m i ſunt æquiangula. anguli enim a & m recti ſunt illic quia in ſemicirculo hic ex theſi. & angulus i cõmunis. Ergo ut a i dupla eſt ipſius m i ſic & a e dupla eſt rectæ s m.

Ad 6.e propoſita fuit ratio inveniendæ inſcriptæ peripheriæ reliquæ ad ſemipheriam data diametro & inſcripta: idem hinc poſſumus præſtare. Nam datur s i radius & m i dimidia inſcripta. Ergo per 5.e.12.R. Dabitur s m. atq; hujus duplum latus a e. atq; hic calculus eſt facilior: quanto facilius pauciores numeros quam plures numeramus. ut ſi exemplum ejus loci repetatur ſit diameter 20 erit radius 10. inſcripta a i 16. erit m i 8. jam potentia radii minus potẽtia m i erit 36 cujus latus eſt 6. nempe s m. ergo erit e a. 12.

 Et

Et licet in numeris

12. *Inter punctum bisectionis & terminum diametri inscriptam invenire.*

Hoc Ptolemæo est propositum: data inscripta alicujus arcus & diametro nota: inscriptam arcus dimidii investigare. Hinc Theoni theorema κατὰ διχοτομίαν dicitur.

Inventio autem est è proportione continua, docente proportionem 2.c.4.e.8.R. Quia enim in præmisso schemate angulus e o i est rectus, & o u perpendicularis: erit ut e i ad o i. sic o i ad u i. jam detur e i 20. & u i 4. erit inde factus 80. cujus latus erit $8\frac{16}{17}$ vel 9 pro o i.

13. *Planus crurum, in semicirculo angulorum, se secantium plano reliquorum crurum minutus, est planus diametri inscriptæq; inter angulorum vertices.*

Esto sint in semicirculo e a i, e o i. anguli. Erit per 16. e.3. Rectangulum e o, a i æquale rectangulis o i, a e & e i, a o. Ergo ex proprietate numerationis primæ planus e a, o i subtractus de plano a i, o e relinquit planum e i, a o.



Itaq; hinc licet

14. *Datis ab eodem diametri notæ termino inscriptis inæqualium arcuum, inscriptam inter terminos datarum reperire.*

Hoc Theoni est theorema καθ' ὑπεροχήν. Esto sit diameter e i 20. inscripta o i 12. & a i 16. quæritur inscripta a o. per 6.e. aut 11.e. invenietur e o 16. a e 12. Hinc planus e o, a i est 256. planus e a, o i est 144. jam minore de majore ablato relinquitur planus e i, a o 112. Eo igitur diviso in e i 20. quotus $5\frac{3}{5}$ est pro inscripta a o.

Et

Et

15. Datis duarum peripheriarum inſcriptis contermi-nis, ſummæ peripheriarum inſcriptam invenire.

Hoc Theoni eſt theorema κατὰ σύνθεσιν. Sint arcuum contermi-norum a e, e i inſcriptæ a e $5\frac{3}{5}$ e i 12. quæritur inſcripta a i. Hic quia datur a e $5\frac{3}{5}$ dabitur per ſuperiora e o $19\frac{1}{5}$. Rurſus quia datur e i 12. dabitur etiã i u 16. jam ſi de plano e o, i u tollas planum e i & o u. hoc eſt a e. qa utraq; eſt rectæ e o cõtinuatio in diametrũ: hoc eſt de $307\frac{1}{5}$ tollas $67\frac{1}{5}$ relinquitur planus diametri e u, i o. quare datur præ præmiſſum i o 12. jam nota i o cum diametro a o 20. per 6. e. aut 11. e. dabitur a i 16. inſcripta quæſita.



Atque ſic Ptolemæo, quæ debere ipſi volvi, exolvi: referens ipſius theoremata de ſubtenſis: & ad ſuum locum ut puto referens. Hipparchus de ſubtenſis ſcripſiſſe refertur libros 12. Menelaus, quem vulgo Arabum interpretes Mileum vocãt, de iiſdem libros ſex confecerat. At Ptolemæus Hipparchi 12. & 6. Menelai quinq; theorematis contraxit. Tantum in eo, hoc quidem in loco, brevitatis fuiſſe ſtudium videmus. Brevitas hęc tam grata accidit: ut à poſteris Ptolemaica theoremata retenta fuerint. Retinuit Purbachius: retinuit Copernicus in opere ſuo mirando: retinuere alii. Et nos retinere voluimus ob pleniorem textus Ptolemaici intellectum: qui miſerè hodie è ſcholis, ſuperioribus tamen annis avide receptus, excluſus videtur.

TH. FINKII

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER QVINTUS.

De semicirculi sinibus, tangentibus, secantibus.

IN semicirculo considerantur sinus & his connexa recta.

Paulatim jam accedimus propius ad subtilissimam mensuram, quæ vulgo per sinus fieri dicitur aut subtensas. Eam nos ex semicirculo deducere voluimus: quia in eo primò residet non tam doctrina sinuum quam his connexarum rectarum: quæ mensuram illam tandem perficient.

2. *Sinus est recta à termino peripheriæ perpendicularis.*

Sinus vocabulum in hac significatione est Arabicum: & ideo barbarum: attamen multorum seculorum consensu in arte retentum fuit. Est enim gratissima in Mathematicis concinna orationis brevitas. Et Aristoteles topico & capite 2. res nominibus tritis & usitatis appellandas censet. Neque commodum magis aut magis Latinum vocabulum habemus. Nam quod quidam Ptolemæum imitati semissem subtensæ dicunt: id, præterquam quod periphrasticum ac longum sit, parum accuratè dici videtur. non enim omni sinui hæc tribui potest appellatio,

3. *Similium peripheriarum sinus radiis suorum circulorum sunt directè proportionales.*

Sint enim similes arcus e i. s y eorumq; sinus i o, y r, & o e, r s.

Erit ut u y ad a i hoc est u s ad a e radius nempe ad radium sic y r ad i o item r s ad o e.

Prima





Prima pars patet ex 9.e.7.R. Sunt enim triangula y r u & i o a æquiangula: cum anguli ad r & o per 2.e. recti, ſint æquales per c.8.e.3.R.& anguli ad a & u ſunt æquales. Nam ductis i p & y q. anguli ad p & q. æquantur ex theſi & 21.e.3.ſed horum ęqualium dupli ſunt anguli ad a & u. Ergò æquales. Et per c.3.e.7.R. anguli ad i & y. æquantur. Quare dicta triangula cruribus ſunt proportionalia.

Secunda pars ſimiliter conſtat ex axiomate illo arithmetico: ſi ſit ut totus ad totum ſic ablatus ad ablatum: erit ut totus ad totum ſic reliquus ad reliquum.

Hic autem eſt ut totus s u ad totum e a ſic ablatus u r ad ablatum a o. Ergo ut u s ad a e ſic reliquus r s ad reliquum o e.

Itaq;

4. *Peripheriarum ſimilium ſinus ſunt directè proportionales.*

Sint in præmiſsis figuris arcus i n, y t item e i, s y ſimiles eorumq; ſinus i m. hoc eſt per 6.e.10.R. o a & y n hoc eſt r u item i o & y r. Erit ut o a ad r u. ſic o i ad y r. Nam
ut o a ad r u ſic i a ad y u.
ut i a ad y u ſic i o ad r y. Ergo ex æquatione rationum, ut o a ad r u ſic i o ad r y.

i Eodem

Eodem modo in finibus dictorum arcuum o e, s r, & m n, ut veritas patet simili syllogismo.

Et

5. ut sinus ad sinum, sic peripheria ad similem peripheriam.

Exempli gratia in schemate præmisso est ut y r ad i o sic y s ad i e. Nam
ut y r ad o i sic u y ad a i.
ut u y ad a i sic tota peripheria t s q ad totam n e p per 8.e i.
ut tota ad totam sic y s ad i e ex thesi.
Ergò ex æquatione rationum
ut y r ad o i sic y s ad i e.

6. Sinus primus est aut secundus.

Sinum recentiores penè omnes secant in rectum ac versum: rectum demum in primum aut secundum. At distributio illa parum videtur logica. Nam & sinus versus est perpendicularis & rectus: jam vero philosopho in topicis distributio ea vitiosa est, ubi partes conveniant.

7. Sinus primus est sinus in diametrum per reliquum arcus terminum ductam.

Sinus generatim fuit definitus perpendicularis à termino pe-



ripheriæ:

ripheriæ:in primo autem dimittitur eousq; perpendicularis, ut cadat in diametrum ductam per alterum terminum peripheriæ. Sic arcus y u sinus primus est perpendicularis à termino uno verbi gratia u in diametrum i y ductam per alterum terminum datæ peripheriæ. Sic arcus u e sinus primus est recta u t. ita arcus o y sinus primus est recta o s. Atque hic sinus semper intelligitur quando sinus simpliciter vocatur: Et nos hanc synecdochen ob brevitatem deinceps retinebimus.

Itaq;

8. Sinus peripheriæ, est sinus reliquæ ad semipheriam. Theon.11.c.1.Ptol.

Sic in præmissa figura sinus arcus u e nempe u t est etiam sinus arcus u y a reliqui ad semiperipheriam. patet ex definitione sinus. Nam ut est perpendicularis ab uno termino in diametrum per reliquum terminum ductam.

Atq; hinc est quod vulgo dicunt eundem sinum esse duorum arcuum: unius quidem quadrantis peripheria minoris, alterius vero majoris. Quæ res in calculo sæpè imperitis imponit: ut angulum inveniant acutum ubi obtusus est.

9. Radius æquè potest sinibus peripheriæ & complementi. 1.p.Regio de sinib.

Sequitur deinceps comparatio sinuum cum radio & inscriptis: & primo ratio æqualitatis in potentiæ sinuum & radii comparatione. Complementum dati arcus vocatur ipsius & peripheriæ quadrantis differentia. Exempli gratia, arcus y u est complementum arcus u e, item arcus u a. quia est differentia y e & dictorum arcuum. Sit jam sinus arcus u e recta u t. & complementi u y sinus sit recta u s. Dico radium i u æquè posse sinibus u s, u t. per 5. e. 12. R. Nam triangulum u s i est rectangulum. Ergo i u æquè. potest cruribus u s & s i hoc est, per 2.c.6.e.10. R. u t. Hinc jam dato radio cum sinu peripheriæ datur sinus

complementi.ut si detur u t 8. & radius sit 10.erit potentia radii 100.potentia vero u t 64. Ergo hac ab illa subducta potentia u s relinquetur 36.cujus latus 6.est ipse sinus u s.

Sinus complementi vulgò dicitur sinus rectus secundus arcus cujus est complementum. verum & intelligenter magis dicitur complementi sinus:& in bonis authoribus sinus complementi dicitur. Sequitur ratio inæqualitatis cum inscriptis.

10. *Sinus est dimidius inscriptæ arcus dupli.*



ut in hac figura u s est dimidius o u subtendentis peripheriā u y o. duplam peripheriæ u y cujus sinus est recta u s.Nam radius i y rectè secat inscriptā o u per 7.e. Ergò per 19.e.1. bisecat.est itaq; u s dimidius ipsius o u. sed & arcus o y u est duplus arcus y u. quia bisecatur in y per 13.e.3.

Ex hoc elemento vulgo definiunt sinum chordam (sic appellant inscriptam) dimidiatam: & elegantioris literaturæ studiosi semissem subtendentis duplum arcum appellant. Verum cum hæc appellatio cuidam tantum sinui nempe primo competat:& verò cum de rebus convenit,ut Cicero monet, in verborum usu faciles nos esse oporteat: quæ causa est recedendi à nomine sinus hactenus retento.

Atq; hinc patet quomodo Ptolemaica de inscriptis ad sinus, & contra sint accommodanda. Nam sinus dimidiati arcus dati duplicatus est chorda seu subtensa dati arcus : & inscripta dupli arcus dimidiata est sinus dati arcus.

Itaq;

11. *Inscripta peripheriæ potest quadruplum sinus dimidiæ.*

Hoc

Hoc consectario utitur Regiomontanus 2.p.de sinibus,ubi sinum quærit vigesimæquartæ partis peripheriæ graduum nempe 15.Veritas autem consectarii patet per 7.e.12.R.

Esto enim inscripta o u.dico eam posse quadruplum u s.Nam est bisecta ad s per 10.e.& y u est dimidia peripheria totius o y u. itaq; o u potest quadruplum dimidii per 7.e.12.R. Sequitur ratio inæqualitatis segmentorum diametri.

12. *Sinus à terminis æqualium arcuum secant segmentum diametri majus propius centro.* 6.p.Reg.de Sinib.

Extat propositio hæc etiam in commentariis Theonis l.2.& apud Iordanum 2.p.de ponderibus:ubi ejus usus cóspici potest.



Sint æquales peripheriæ i u & u s.à quorum terminis sint sinus i o,u y & s r. Dico segmentũ diametri o y esse majus segméto y r. Ducantur enim radii in u & s.anguli i o u & u o s per 5. e. 3. æquabuntur: & ducta i s per 2. e. 7.R. rectæ i l & l s æquantur. Quare i m erit major quam m s. Sed sit quoq; sinus s t. jam quia m j est parallela ipsi i t per 12.e.5.R. Erit per 13.e.5.R.

ut i m ad m s sic t j ad j s. hoc est o y ad y r.

At i m est maior quam m s.Quare & o y major quam y r.

Sequitur jam comparatio sinuum cum inscriptis in qualitate nempe proportio.

13. *Si radius secet inscriptam in semicirculo: segmenta sinibus conterminorum arcuum inter radium & inscriptam sunt directè proportionalia.* 11.c.1.Ptolem.

Dicimus inscriptam in semicirculo sive basis sit hoc est diameter,sive alia quæcunq;:Ptolemæus tamen basin excludit: postulat enim arcus inter terminos inscriptæ,& diametri conjunctim minores semiperipheria:verum hoc fecit propter finem & usum quem hinc haurire voluit nempe discretionem peripheriæ in duas optatas.

Sit itaq; inſcripta a i eamq; ſecet radius u y e. Sintq; arcuum i e & a e ſinus i p & a s.

Dico a y eſſe ad a s ut eſt y i ad i p. Quia enim i p & s a ſunt parallelæ per 12. e. 5. R. angulus enim ad p & s rectus eſt: erit per 14. e. 5. R. ut i p ad i y ſic s a ad a y. quare alternè & inverſè.



14. Si à termino diametri continuatæ recta ſecet peripheriam: ſinus à punctis ſectionum rectæ ductæ & exteriore ejus ſegmento directè ſunt proportionales. 11. c. 1. Ptol.

Eſto enim diameter o e continuata in punctum a. atq; à puncto a recta ſecet peripheriam in u & i. & à punctis ſectionum ſint ſinus u y, i r. Dico eſſe ſinũ i r ad ductã i a ut eſt ſinus u y ad exterius ſegmentum u a.



Demonſtratio eadẽ eſt cum præcedente. Nam rectæ a i & a r ſunt interſectę parallelis u y, i r per 12. e. 5. R. Ergo ſegmenta conterminis parallelis ſunt proportionalia per 14. e. 5. R.

Atq; ita comparatio fuit ſinuum inter ſe & cum inſcriptis: ſupereſt ſinuum cum peripheriis ratio una.

15. Si ſinus peripheriarum quadrantis peripheria minorum ſunt æquales: peripheriæ ſunt æquales: & contra.

Elementi veritas è 10. e. & 14. e. 2. eſt manifeſta. ut enim illic inſcriptæ æquales ſecabãt peripherias æquales: ſic hic ſemiſſes inſcriptarum habent ſemiſſes peripheriarum æquales. itaq; ut illic erat ratio ęqualitatis etiam inde inæqualitatis cõſequebatur: ita & hic.

& hic. Sed id tamen notari oportet peripherias quadrantis peripheria minores hic postulari. Secus ψευδογραφία gravis fuerit: de qua etiam ad 8.e dixi. cum idem sinus peripheriarum duarum sit. Est itaq; speciale elementum sinuum primorum. Nam sinus secundi arcuum habent arcus æquales. nec requiritur hic ut arcus sit quadrantis peripheria minor.

16. *Sinus secundus est sinus ab arcus termino in sinum primum.*

Sinus secundus vulgo versus sinus dicitur: à nonnullis authoribus nescio qua similitudine sagitta: definiri potest segmentum diametri ab arcus termino ad sinum primũ perpendiculare: quo tamen verborũ cumulo nõ est opus. Nã si sinus est: constat qđ sit perpendicularis: et si in sinum primũ cadit non põt fieri quin sit segmẽtum diametri. Sic peripheriæ y u sinus secundus est recta y s à termino y in sinũ primum u s perpendicularis. Sic sinus secundus arcus u e est recta e t. arcus u y a est recta a i t.



Itaq;

17. *Radius æquatur sinui complementi peripheriæ quadrantis peripheria minoris & sinui secundo.*

ut in præmissa figura radius i e ęquatur sinui i t cõplementi peripheriæ u e. & sinui secundo t e nempe dictæ peripheriæ u e. Hinc facile dati arcus datur sinus secundus. Nam si sit arcus u y sinus nempe i t 6. & radius 10. erit t e. 4. sinus secundus arcus u e.

Et

18. *Sinus secundus peripheriæ quadrantis peripheria majoris æquatur radio & sui complementi sinui.*

Esto arcus u y a ejusq; complementum u y. erit a t sinus secundus

dus dati arcus æqualis a i radio,& i t ſinui complementi. Quare ſumma è radio & ſinu cōplementi,eſt dictæ peripheriæ ſinus ſecundus. ut radius ſit 10 ſinus i t 6. erit a t 16. pro ſinu ſecundo optato. Sequitur comparatio alia ſinuum inter ſe cum inſcripta.

19. Sinus primus & ſecundus poſſunt inſcriptam ſuæ peripheriæ.

Supra dixi inſcriptam poſſe quadruplum ſinus peripheriæ dimidiæ. jam docetur inventio potentiæ inſcriptæ arcus: Et ſic Regiomontanus quærit. ut in ſubjecta figura ſi ducatur inſcripta u e. per 5.e.12.R. u t & t e poterunt inſcriptam u e. Verbi gratia ſi ſit u t 8. & t e 4. potentiæ 64. & 16. hoc eſt 80 erunt quadratum inſcriptæ: cujus quarta pars 20 per 11.e. eſt potentia ſinus ſemiſsis peripheriæ u e ergo ſinus ſemiſsis dictæ erit $4\frac{4}{9}$.



20. Sinus peripheriæ in quadrante eſt medius proportionalis inter ſemiradium & ſinum ſecundum peripheriæ duplæ. 3.p.Reg.de Sinib.

Eſto data peripheria e m ad quam dupla ſit e u. ſitq; ſinus arcus u e recta u t, peripheriæ vero e m ſit recta e s. Dico ſemiſſem a e hoc eſt radii eſſe ad e s. ut e s eſt ad e t ſinum ſecundum peripheriæ duplæ.

Sunt enim triangula a s e & u t e. æquiangula ob rectos ad s & t. communem ad e. erit ergo per 9.e.7.R. ut a e radius ad inſcriptam u e. hoc eſt ſemiradius ad ſemiſſem inſcriptæ nempe ad e s. ut e s ad e t.

Hinc Regiomontanus inveſtigat ſinus dimidiarum peripheriarum. ut verbi gratia ſi quæreretur e s. daretur autem u t 8.& a t 4 erit t e 6. radius a e 10. jam ut 5 ad s e. ſic s e ad 6. quare factus à 5 per 6. nempe 30 erit etiam factus ab e s per ſe. Ergo ejus latus erit $5\frac{5}{11}$. pro ſinu e s arcus dimidii ad datum e u.

Sed

Sed cognita proportione elementum ad plures poteſt uſus transferri.

Atque hactenus ſinus expedivimus: ſupereſt ut ad rectas his connexas deſcendamus.

21. Recta ſinibus connexa eſt tangens peripheriæ aut eam ſecans.

Propoſuimus ut in circulo inſcriptas, ſic in ſemicirculo ſinus perpendendos ſed & rectas ſinibus connexas. Eas plenioris intellectus cauſa in tangentes & ſecantes dislocamus. Verbis ſi, hac in re non nova, novis: tamen ut ſperamus accommodatis.

22. Tangens eſt à termino peripheriæ altero perpendicularis in radium extra per reliquum terminum continuatum.

Eſto peripheria a e. ſitq; ab ejus termino a perpendicularis a i terminata in radio o e continuato in i. per reliquum datæ peripheriæ terminum. erit a i tangens datæ peripheriæ. Sic vocare placuit quia ſit perpendicularis extremæ diametro. hoc dato per 1.e.2 erit tangens: itaq; Geometria ipſa commodum ſuppeditavit nomen: nec aliunde adferri cõmodius poterit. Nam quod quidam numerum fœcundum rectam a i vocant. id ii videant quomodo defendant: mihi non probabunt. Damus aliquid peritiſſimo illi artifici Regiomontano homini Germano: qui primus hujus vocabuli author dicitur: damus etiam aliquid receptæ conſuetudini. Verum id non facile damus ut verba ea in uſu retineamus quibus elegantiora, breviora, ſignificantiora, veriora habeamus.



Rheticus in tabula à ſe edita, & triangulorum canone non tantum rectam a i ſed & ſinum modo baſin trianguli modo cathetum & perpendiculum oppoſiti anguli ratione vocat. Quæ ſi ratio commutationis verborum ejuſdem lineæ cui placeat per me certe licet. interim tamē ſi baſin ille vocet ego legitimè perpendiculum vocare poſſum. quia ſi baſi recta eſt perpendicularis & baſis erit eidem rectæ perpendicularis. Sed de nominibus litigare nolumus. Quæ nobis bona Rheticus communicavit, grato animo agnoſcimus, agnoſcent alii. Sequitur tangentium comparatio cum ſinibus: primò ratio.

23. *Tangens ſemiſsis peripheriæ quadrātis, radio æquatur: majoris radio major eſt, minoris minor.*

Sit enim arcus a e ſemiſsis peripheriæ quadrantis: a o ſit major. a i minor. ſintq́; ſingulorum tangentes a t, a r, a p.

Dico t a eſſe æqualē radio: & r a majorem, p a minorem. Nam quia triangula t y a, e y m ſunt æquiangula ob rectos duos & communē ad y erit per 9.e.7.R. y m ad m e ſic y a radius ad a t. ſed y m æquatur rectę m e. Nam ex theſi arcus a e eſt ſemiſsis totis a u. Ergo ſinus u e recta y m æquatur ſinui e a qui eſt e m per 15 e.



Reliquę partes hinc ſequūtur. Nam r a tangens arcus majoris ſemiſſe peripheriæ quadrantis, eſt major quam t a. at t a eſt æqualis radio. ita p a eſt minor quam t a hoc eſt radius. unde proportio ſequitur.

Itaq;

24. *Sinus peripheriæ eſt ad ſinum complementi, ut radius ad tangentem dicti complementi.*

Elemento hoc Eraſmus Rheinholdus in tabulis ſuis directionum canonem ſecundū è canone ſinuum cōponit præcepto 8.

Sit

Sit in ſubjecta figura peripheriæ quidē y e ſinus o u. ſitq; cōplemētum e a cujus ſinus e u. ſitque tangens cōplementi i a. Quia triāgula æquiangula erit ut o u ad u e ſic o a radius ad a i. Et hinc intelligi poteſt tangentē peripheriæ competere etiam reliquæ ad ſemiperipheriam.



25. Radius eſt medius proportionalis inter tangentes peripheriæ & complementi.

Sit peripheria a i ejuſq́ue complementum i o. ſitq; tangens illic a e hic vero o u. jam quia duo triangula y o u, e a y ſunt rectangula & angulus y e a angulo u y o æquetur per 12.e.5.R. erunt ęquiangula. itaq; per 9.e.7.R. ut a e ad a y radium ſic y o radius ad o u.



26. Tangentes peripheriarum tangentibus complementorum ſunt reciprocè proportionales.

Eſto ſint peripheriæ a e & a i earumq́ue complementa o e, o i. ſintq́ue earum tangentes a y, a u, o s, o y. Dico jam a u eſſe ad a y ut eſt o y ad o s. Nam per præmiſſum elementum eſt

ut a u ad radium ſic rad. ad o s.
ut a y ad radium ſic rad. ad o y.



Itaq; planus a u, o s æquatur plano radii itemque planus a y, o y plano radii per 4.e.11.R. Ergo planus a u,o s æquatur plano a y,o y. Quare per 14.e.10 vel 5.e.11.R. ut a u ad a y ſic o y ad o s. Atq; ſic doctrinam tangentis peripheriæ expedivimus.

27. Secans eſt radius per terminum peripheriæ in tangentem continuatus cum continuatione.

Sic peripheriæ a e ſecans eſt o e i.nempe radius o e continuatus in terminum tangentis e.cum continuatione e i. Et hoc nomē huic rectę accommodatum putamus.



Joachimus Rheticus hypotenuſam trianguli rectanguli vocat reſpectu anguli recti ad a cui ſubtenditur. Verũ cum referatur non ad angulum rectum, ſed angulum in centro ad o hoc eſt arcum a e: an non potius arcus ſecans dicatur quam recti anguli hypotenuſa judicent alii.

Maurolycus canonem Rhetici paulò mutatum in Meſſanenſi Menelai editione, nomine etiam mutato edidit: & beneficum vocavit: tanquam recta o i ſeu numerus hanc definiens beneficus diceretur. At recta o i non magis eſt benefica, quam recta a i fœcunda.

Sequitur comparatio ſecantium cum ſinibus, & cum tangentibus. & quidem comparatio cum ſinibus priori loco: & proportio. Nam ratio ſecantium ad radium, ad ſinus eſt inæqualitatis, & quidem majoris: quam determinare non fuerit neceſſum.

28. Radius eſt medius proportionalis inter ſinum peripheriæ & ſecantem complementi.

Hoc

Hoc etiam elementum Er.Rheinholdi eſt in tabulis directionum præcepto 8. Eſto in præmiſſo ſchemate arcus dati a e ſinus e u, ſecans o i. dico eſſe ut o u ſinum complementi datę peripheriæ ad o a radium ſic o e radium ad o i. Sunt enim triangula i o a, e o u æquiangula. ideoq; per 9.e.7.R. cruribus proportionalia.

29 *Secantes peripheriarum ſinibus complementorum ſunt reciprocè proportionales.*

Sint enim in ſubjecta figura datæ peripheriæ a e, a o: quarum complementa ſint e u, o u. jam ſint datarum peripheriarum ſecantes y t, y r. complementorum vero ſinus y m, y s. Dico eſſe y r ad y t ut eſt y m ad y s. Nam per 28.e.



ut y r ad radium ſic rad. ad y s.
ut y t ad radium ſic rad. ad y m.

Quare planus y r, y s item y t, y m ſigillatim æquatur plano radii per 4.e.11. R. Ergo & inter ſe: eritque per 14.e.10.R. ut y r ad y t ſic y m ad y s. Sequitur deinceps comparatio ſecantis cum tangente. & primo ratio æqualitatis.

30. *Secans peripheriæ æquatur tangenti & datæ & ſemiſſis complementi.*

Sit peripheria data a e. ſemiſsisq; complementi ejus a m. jam ſit ſecans datæ r y. tangens ejuſdem y a. ſemiſsis cōplementi a n. hoc eſt tangens datæ & ſemiſsis cōplementi ſit y n. Dico y r & y n æquari. Elementi veritas patet è 10.e. 6.R. Nam angulus r n y & y r n æquantur. Etenim.



Reliqua æqualium de æqualibus æquantur.

At anguli r n y & y r n ſunt reliqui æqualium i r e & a r n ex theſi (uterq; enim ſubtenditur à ſemiſſe complementi datæ

 peripheriæ,

peripheriæ.itaq; per 5.e.3.sunt æquales)sunt reliqui,inquam,æqualium de æqualibus i r n & r a y quia hi recti sunt.Quod autem angulus a r n de angulo r a y relinquat angulum r n a patet per 2.c.9.e.6.R. Rectus enim æquatur duobus oppositis interioribus.Ergo minutus altero interiorum,est reliquus.

Ergo dicti anguli sunt æquales: proinde à lateribus æqualibus subtensi.

31. Secans peripheriæ, quadrantis peripheriæ semisse minoris,cum tangente ejusdem æquatur tangenti datæ semisse sui complementi auctæ.



Sit data peripheria a u minor semisse peripheriæ quadrantis: ejus complementum sit u o. cujus semisis sit e u. jam sit tangens datæ a s secans r s. at arcus a e tangens sit a y. Dico r s, s a æquari rectæ a y. Vis veritatis in eo consistit, ut monstretur æqualitas r s & s y. Nam a s per se sibi æquatur. per 12. e. 5. R. itaq; o r e hoc est ex thesi y r s æquatur angulo r y s. Quare per 10. e. 6. R. r s & s y æquantur. Sequitur ratio inæqualitatis segmentorum tangentis & secantis.

32. Si secantes per terminos æqualium peripheriarum secent tangentem summæ æqualium,segmentum tangentis & secantium extra peripheriam propius extremæ diametro minus est remotiore.

Sint in præmissa figura æquales peripheriæ a u,u e. Sitq; tangens summæ æqualium nempe a u e recta a y & per terminos æqualium secent tangentem secantes r s,r y. Erit segmentum s a minus segmento s y.& u s minus quam e y. De segmentis tangentis constat. Quia enim e a peripheria bisecatur in u per r s & angu-

&c angulus y r a erit bisectus per 5.e.3.itaq; per 12.e.6. R.ut r a ad r y sic a s ad s y.

Verum r a est minor quam r y per 11.e.6 R.

De secantibus facilis res est: r s minor est quam r y per 11.e. 6.R.auferatur æqualis radius: u s minor quam e y relinquetur.

Itaq;

33 *Si secantes secent e tangente segmenta æqualia: segmentum peripheriæ propius extremæ diametro remotiore majus est.*

Hoc elemento Euclides in opticis utitur 4 & 7 theor.ad demonstrationem inæqualitatis rerum visarum quo ad visum: quę æquales tamen existunt.Est autem manifesta veritas è pręcedente. Ponatur enim in præmisso figura segmentum a s æquale segmento s y.Dico peripheriam a u esse majorem peripheria u e.

Nam si peripheriæ a u,u e non sunt inęquales:secantes per earum terminos secabunt segmenta a s,s y inæqualia.per 32.e.

At hic ex thesi non secant inæqualia. Quare sunt inæquales. Et a u major est quam u e.Si enim esset æqualis & proinde multo magis si minor:a s esset minor quam s y.

At non est minor ex thesi. posset institui alia demonstratio si centro a.radio r s describeretur peripheria:fieret sector major ad extremam diametrum:minor qui esset remotior: unde angulus s r a major concluderetur augulo y r s per 6.e.3.& hinc per 5. e. 3. peripheria a u major quam u e. Alio adhuc modo scholiastes Euclidis opticus demonstrat. Ducta enim recta ex s quæ parallela sit ad r a,facit angulum cum r s ęqualem angulo s r a per 12.e.5.R. Et cum ille major sit angulo y r s per 11.e.6.R. angulus s r a etiam eodem major erit.itaq; & a u major quam u e. Quemadmodum illic videri poterit.

Expedivimus itaq; doctrinam circularem eam quæ in lineis fuit atq; segmentis.

TH. FINKII

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER SEXTVS.

De adscriptione circuli & trianguli.

Geometria circularis simplex expedita est: sequitur cōjuncta in adscriptione circuli & rectilinei.

Geometriam circularem nobis duplicē proposuimus: simplicem quidem solius circuli cum suis lineis & segmentis: conjunctam vero in adscriptione circuli & rectilinei ponimus. Cognitionem rectilineorum è Geometria vel Euclidis vel Rami huc adferri necesse est: nos ea saltem docebimus quæ circulum attingunt.

2. *Si rectilineum adscriptum circulo est æquilaterum: est æquiangulum.*

Campanus hoc ad 15. p. 4. proponit. Veritas autem docenda erit & in inscripto & circumscripto. Tot enim species adscriptionis sunt 10. e. 1. R. primo itaq; de inscripto. id si triangulum est per 2. c. 10. e. 6. R. est æquiangulū. De triangulato itaque res demonstranda: ut hic si inscriptæ o u & s y sint æquales subtendent peripherias æquales per 14. e. 2. jam si æqualibus o u & s y addas æquale nempe peripheriā o i e s. summæ u o i e s & y s e i o sunt æquales. Ergo per 5. e. 3. angulus u y s an-



gulo

gulo y u o eſt æqualis. Eodemq; modo reliqui anguli æquales probabuntur. De circumſcripto etiam patet ſi intelligas circumſcriptum circulum. perpendiculares enim à centro a. in latera circumſcripti cum radiis facient utrinq; triangula æquilatera per 5.e.12.R. & per 1.e.7.R. æquiangula. Quod ſi ergo anguli à radiis & circumſcripti lateribus æquantur toti à lateribus comprehenſi æquabuntur.

3. *Si rectilineum adſcriptum circulo eſt æquilaterum: æquatur triangulo æqualis baſis quidem perimetro, altitudinis autem perpendiculari à centro in latus.*

Sit inſcriptum triangulum itemq; quadratum.





Dico triangulo huic æquari triangulum, cujus baſis ſit continuata è tribus lateribus, altitudo ſit perpendicularis è centro communi rectilinei & adſcripti circuli. Veritas eſt manifeſta ex 1.c.6.e.7.R. Nam ſi à centro ducantur radii tres in angulos dati trianguli fient tria triangula quæ ſunt æquealta. Altitudo enim eſt perpendicularis à vertice in baſin hoc eſt à centro in latus: ea autem hic eſt æqualis per 23.e.1.in tribus triangulis. Et in æquali ſunt baſi nempe latere trianguli æquilateri. jam quia triangulum è baſi perimetro, altitudine perpendiculari à centro in latus eſt æquealtum triangulis tribus, & baſin habet baſibus horum

æqualem nempe ex iis compoſitam: æquatur univerſis: æqualibus dato triangulo.

Eodem modo in quadrato res patet. Nam ductis diagoniis fiunt quatuor triangula æquealta æqualia dato. at his quatuor, æquealtum & æquale baſibus triangulum è perimetro quadrati & perpendiculari dicta æquatur. Et ſic de quolibet rectilineo ordinato induces.

Itaq;

4. *Planus è perpendicularis è centro in latus & perimetri altero per reliqui dimidium eſt area rectilinei ordinati.*

Hæc geodæſia rectilinei ordinati communis eſt. Ac in triangulo expeditior eſt 4.c.6.e.10.R. aut 9.e.12. Quadrati quoq; compendioſior 6.e.11.R. Quare ſupereſt uſus hujus elementi in multangulis ordinatis reliquis. Veritas autem in promptu eſt. Nam triangulum æqualis, altitudinis cum perpendiculari à centro in latus, baſis perimetro æqualis, æquatur dato multangulo.

At area trianguli eſt planus baſis & ſemiſsis altitudinis aut altitudinis & ſemiſsis baſis per 4.c.6.e.10.R. & 6.11.R.

Eſto quinquangulum ordinatum, cujus perimeter ſit 60. erit latus 12. Sitq; perpendicularis à centro in latus 8. Quæritur area quinquanguli. planus è 30 & 8. eſt 240. pro quæſita area. Vel planus è 60 per 4 eſt 240. rurſus pro area optata.



Eſto rurſus ſexangulum: cujus latus ſit pedum 8, & perpendicularis à centro in latus ſit $6\frac{12}{13}$.

Planus ergo à $6\frac{12}{13}$ per 24 eſt $166\frac{2}{13}$ per area.

At dices: unde ſcis perpendicularem eſſe in quinquangulo dato pedum 8 in ſexangulo pedum $6\frac{12}{13}$.

Id, inquam, hic dari oportet: aliàs patebit inventio ejus è radio

dio circumſcripti circuli & ſemiſſe lateris multanguli, in triangulo rectangulo. Nam quadratum ſemiſsis lateris de quadrato radii relinquit quadratum perpendicularis per 5.e.12.R. ut melius intelligetur ad doctrinam circũſcriptionis circuli. Nos hic cum matre filiam conjungere maluimus: quam interpoſitis aliis ſejũgere.



Sunt qui geodęſiã proponunt ſpecialem: Verbi gratia Cardanus in practica ſua arithmetica dicit, eſſe quadratum lateris quinquanguli ad aream ejus, ut 2,939 ad 5,056. Quod verum non eſt: Nam ſi ſit ut 2,939 ad 5,056 ſic quadratum lateris ad aream: erit ut 2,939 ad 5,056 ſic 144 ad 248 fere. aream nempe quinquanguli. Quæ certè magna ψευδογραφία eſt. pro 240 aſſumere pedes quadratos 248. Quod ſi ejuſmodi ſpeciales ſunt conſtituendæ geodæſiæ: ex inventa area, & latere menſuræ quanto majoris tanto ad hanc rem melioris: termini rationis minimi potentiæ lateris ad aream conſtitui debent: & tamen nullius eſſe momenti deprehendes. in noſtro exemplo area eſt 240. quadratum lateris 144. Horum maxima menſura communis eſt 48. Ergo 240. & 144, in terminis minimis proportionalibus ſunt 5. ad 3. Quare ut 3 ad 5 ſic quadratum lateris quinquanguli ad aream. Verum eſt in hoc exemplo. At ſit latus quinquanguli 20. erit perpendicularis pedum $13\frac{38191}{50000}$.

jam planus è 50 ſemiſsis perimetri & perpendiculari eſt 688. & parum ultra pro area quinquanguli. Sed ſi terminos primi noſtri exempli teneas: erit ut 3 ad 5 ſic 400, quadratum lateris ad 666 pro area. En novam ψευδογραφίαν in primo exemplo ter-

 mini

mini hi erant rationis quadrati lateris ad aream: at in hoc vides quantum aberrent. Hinc ergo judicium facerę poteris: quid de ſpecialibus ejuſmodi non tam Cardani quam aliorum geodæſiis ſit ſentiendum.

Hic merito ſibi optaſſet tantum quotannis agri quantum ψευδογραφία illa periret.

Geodæſia generalis vera, & facilis eſt. Ea igitur teneatur.

5. *Rectilinea ſimilia circulis inſcripta ſunt ut à diametris quadrata.* 1.p.12.

Euclides de polygonis ſeu multangulis proponit, de ſpecie ſcilicet quod erat generis. Elementum vero hinc patet quod plana ſimilia habeant duplicatam rationem homologorum laterum per 1.e.6.R. Eſt autem duplicare rationem homologorum laterum quadrare diametros.

Jam vero in inſcriptis rectilineis diametri ſunt homologa latera aut homologis lateribus proportionales. ut patet primò in triangulis. Ea ſint rectangula aut obliquangula. Sint ergo rectangula a e i, o u y. quia itaque a e & o u ſunt diametri per 4.e.4. res protinus patet; ſunt enim diametri homologa latera ipſorum



triangu-

triangulorum. Sed ſint jam obliquangula i s e, y r u. diametri erunt homologis lateribus proportionales nempe lateribus e i, u y ut jam patuit: & ideo ut diametri a e, o u. Si triangulata ſint, in ſua reſolventur triangula per 2.e.10.R.& res patebit ſimiliter. Itaq;

6. Si ſit ut diameter circuli ad latus rectilinei inſcripti, ſic diameter ſecundi circuli ad latus ſecundi rectilinei inſcripti, triangulaq; inſcriptorum ſingularia ſimilia ſimiliterq; ſita: rectilinea inſcripta erunt ſimilia ſimiliterq; ſita.

Conſectarium hoc Euclides 2. p. 12. ſic ſumpſit: & ideo nos hinc concludimus. ut ſi ſit in præmiſſa figura ut, o u ad u y ſic a e ad e i & triangula o u y, a e i ſimilia ſimiliterq; ſita itemq; triangula o u r, a e s: erũt inſcripta quadrangula ſimilia ſimiliterq; ſita

7. Rectilineum inſcribitur circulo quando peripheria tangit angulos: Circumſcribitur cum à ſingulis lateribus peripheria tangitur. 3.4.d.4.

Hæc ex generali adſcriptionis doctrina in haſce ſpecies deducuntur. Eſt enim circuli terminus peripheria: Si ergo peripheria rectilinei terminis terminetur: circulus & rectilineum adſcripta inter ſe ſunt &c. Et hinc patet adſcriptionem quidem circuli eſſe cum triangulo quolibet: cum triangulato autem duntaxat ordinato.

8. Si duæ rectæ biſecent duos angulos dati rectilinei: circulus radii ab earum concurſu in latus perpendicularis inſcribetur dato rectilineo. 4. 8. 13. p. 4.

Eſto verbi gratia triangulum a e i. & rectæ e u, a o biſecent angulos i a e, i e a: & ab earum concurſu ſint perpendiculares in latus y s, y o, y u. dico radio y u vel y o vel y s centro y deſcribi circulum. per 27. e. 1. Sunt enim tres ab eodem puncto æquales. Nam biſecantes cum perpendicularibus faciunt per 2.e.7. R. triangula æquilatera. Nam triangula s e y, y e o ſunt æqua angulis ad e ex theſi & s, o, æqualis baſis y e quia communis. Ergo s y, y o



æquãtur. rursus s a y, y a u eodem modo sunt æquilatera. unde & u y & y s ęquantur. proindeque tres perpẽdiculares sunt æquales ab eodem puncto & quidẽ centro. idem argumentum in triangulato erit. ut exempli gratia hic in quadrato videbis.



Nam & hic perpendiculares tres y o. y s. y u simili ratiocinatione ęquãtur pro radiis circuli cui quadratũ est circumscriptũ. Est autem tum rectilineum circumscriptum quiá peripheria à lateribus tangitur.

9. Si duæ rectæ rectè bisecent duo latera dati rectilinei: circulus radii ab earum concursu in angulum circumscribetur dato rectilineo. 5. 9. 14. p. 4.

ut in superioribus figuris rectæ y o, y u rectè bisecent latera e i, a i dico circulum à centro y radio y e, vel y i vel y a circumscribi dato rectilineo, sunt enim tres dictæ æquales. Nam ducta recta y i triangulum y o i, triangulo y o e est angulo æquicruro ęquum ex thesi

ex thesi. Sic & triangulum y u i triangulo y u a. Ergo per 2.e.7. R. e y, y i & y i, y a æquantur. & proinde per 27 e i. centrum est in y. ex quo radio y e circumscribitur circulus

Itaq;

10. *Segmenta ex concursu bisecantium angulos rectilinei ordinati, sunt radii circumscripti circulis.*

ut in superioribus figuris u e, & o a bisecant angulos. harum concursus est in y centro rectilinei, circuli & inscripti & circumscripti. quare y e, y a sunt radii circumscripti. Atq; hinc patet inventio perpendicularis à centro in latus cujus cognitio ad geodæsiam rectilinei necessaria est. Quia enim y e, y a sunt radii: a e erit inscripta & in eam y s est perpendicularis: a s & s e ęquabuntur. jam si de quadrato y e tollas quadratum s e semissis lateris relinquetur quadratum perpendicularis quæsitæ. Atq; hactenus adscriptio circuli fuit: sequitur adscriptio rectilinei, & primo quidem trianguli.

11. *Si duæ inscriptæ à contactu rectæ & peripheriæ æquent duos utrinq; angulos duobus angulis dati trianguli: connexæ inscribent triangulum dato circulo æquiangulum dato triangulo.* 2.p.4.

Detur itaq; triangulum a e i: offeratur etiam circulus o. Huic inscribendum sit triangulum æquiangulum dato. Ducatur itaq; tangens u y s quæ tangat, inquam, peripheriam y r l. atq; a contactu inscriptæ y r & y l æquent angulos u y r, s y l angulis dati trianguli a e i, a i e & cō-nectantur inscriptæ recta r l. Dico triangulum y r l esse æquiangulum dato. Nam si bini anguli duorū triangulorum æquātur, reliqui æquantur per c.3.e.7.R.



At hic anguli l & i anguli e & i æquantur. Quia angulus y l r æquatur

æquatur angulo u y r per 18. e. 3. hoc est angulo a e i. item angulus y r l. æquatur angulo s y l hoc est angulo a i e. Ergo angulus a æquatur angulo y.

12. *Si duo anguli in centro dati circuli æquētur ad commune latus exterioribus angulis dati trianguli: rectæ tangentes peripheriam in cruribus angulorum circumscribent triangulum dato circulo æquiangulum dato.* 3.p.4.

Esto triangulum a e o. ejusq; exteriores anguli a e i, a o u. circulus autem datus y s r. tum in centro ejus l ad commune latus



l r æquentur anguli exterioribus dati trianguli, y l r quidē angulo a e i, at r l s angulo a o u. jam sint tangentes ad r, y, s quæ circumscribant triangulum. Dico id esse dato æquiangulum. Nam per 4. e. 6. R. anguli in quadrangulo y m r l æquantur quatuor rectis. Sed anguli ad y & r sunt recti ex fabrica & 1. e. 2. Ergo reliqui ad l & m æquantur duobus rectis. quibus etiam æquantur anguli a e i, a e o per 1. c. 8. e. 5. R. Ergo ablatis æqualibus a e i & y l r ex fabrica de æqualibus relinquitur y m r æqualis angulo a e o.

Eodem argumento angulus trianguli circumscripti oppositus angulo s l r nempe r n s æquatur angulo a o e. itaq; cum bini æquentur reliquus reliquo etiam erit æqualis per c. 3. e. 7. R.

Itaq;

13. *Si triangulum est rectangulum, obtusangulū, acutangulum: centrum circumscripti circuli est in latere, extra latera, intra latera: & contra.*

Elementi veritas è premisso auxilio 4. e. 4. manifesta est. Nam rectangulum tantum inscribitur semicirculo: ergo in latere sive basi, hoc est diametro, est centrum.

Obtusan-

Obtuſangulum tantum inſcribi poteſt minori ſectioni. Ergo centrum extra baſin. Sic acutangulum inſcribitur majori ſectioni ergo intra latera centrum conſiſtat neceſſe eſt, ut hic ſubjectæ figuræ centrum a exhibent.



TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER SEPTIMVS.

De adſcriptione triangulati.

SI rectæ tangant peripheriam in angulis inſcripti triangulati ordinati: circumſcribent triangulatũ circulo homogeneum inſcripto. 7.12.p.4.

Expedita eſt adſcriptio circuli, adſcriptio item trianguli: ſupereſt adſcriptio triangulati & quidem ordinati: cujus circumſcriptio generalis hic proponitur ex antecedente tamen inſcriptione quę ſpecialia requirit elementa. Exempla autẽ per ſpecies deinceps cum inſcriptis proponẽtur. Et hoc generale ſemel & primo dicere ſatius eſt quam in quadrãgulo quinquangulo ſpeciatim repetere. Sequitur ergo inſcriptio & quidem per unicum latus, quod repetitum quoties opus eſt peripheriam compleat. Fecit hoc Euclides in quindecangulo: nec malè tamen in reliquis eadem ratio inſtituitur.

2. Si radius biſecet latus inſcripti ordinati: recta inter terminum radii atq; lateris eſt latus inſcripti ordinati ad prædictum lateribus dupli.

Ita per triangulum æquilaterum inſcribi poteſt triangulatum angulorum 6. per ſexangulum triangulatum angulorum 12. & hinc angulorum 24,48,96 &c.

Sic per quadratum inſcribetur triangulatum angulorum 8 & hinc 16,32,64 &c.

Per quinquangulum triangulatum angulorum 10, 20, 40, 80, & ſic deinceps.

Veritas autem elementi patet per 13.e.3. Nam radius biſecans latus inſcripti per 19.e.1.rectè ſecat.ergo & peripheriam biſecat. Quare quam peripheriam ſubtendebat recta una: eam jam duæ æquales rectæ ſubtendunt. itaq; inſcribitur hoc modo ordinatum duplum.Quod ſi latus inſcripti dati detur in numeris: nota diametro ex ſuperioribus præceptis latus inſcripti dupli manifeſtum erit per 12.e.4.aut per 19.e.5. Exempli gratia,eſto inſcriptum latus trianguli æquilateri a e 173,205. radius biſecãs a e in o, biſecat etiam arcum a e in i. erit ergo a i latus ſexanguli ordinati. id inveniet hoc modo: datur a o tanquam ſinus peripheriæ a i. ergo per 9. e.5.dabitur o u ſinus complementi 50,000.jam ablato o u de radio 100,000.relinquitur o i ſinus ſecundus arcus a i. jam per 19 e.5.a i dabitur 100,000 latus inſcripti ſexanguli. Et ſic in reliquis. Ptolemaica via è 12. e. 4. eodem modo inſcriptam a i inveniet.



3. Si diametri rectè interſecantur: ſubtenſa recto erit latus quadrati. 6.p.4.

Eſto circulus a e i o. cujus diametri e o, a i rectè interſecentur ad u.rectoq; ſubtenſa ſit a o,dico a o eſſe latus quadrati inſcripti.

Crura

Crura enim recti u a, u o item u a, u e & u e, u i & u i, u o ſunt radii: & rectis connexi triangula æqua angulo ęquicruro ſunt: ergo per 2.e.7.R.baſes a o, a e, e i, i o æquantur: quare quælibet ſubtēdit quartam peripheriæ partem per 14.e.2.

jam cum habeatur inſcriptum quadratū facile comparabitur circumſcriptum per i e.



Itaq;

4. *Latus inſcripti quadrati poteſt duplum circularis radii.*

ut in præmiſſa figura a o æquè poteſt per 5.e.12.R.cruribus a u, u o. At horum quadrata ſunt æqualia: cum latera ſint æqualia. Ergo ad alterutrum quadratum, quadratum a o erit duplum. Et hinc Ptolemæus 9.c.1.inveſtigat latus inſcripti quadrati. Nam ſi quadratum radii duplicetur, latus duplicati erit inſcripti quadrati latus. ut ſi radius ſit 10,000,000. a o erit 14,142,136 ferè.

Et

5. *Quadratum inſcriptum eſt dimidium circumſcripti. in 2.p.12.*

In promptu cauſa eſt quia e o diameter hoc eſt latus circumſcripti y s æque poteſt cruribus e a, a o lateribus nempe inſcripti. At latera hæc ſunt æqualia. Quare quadratum y s eſt duplum ad quadratum lateris inſcripti.

Et

6. *Quadratum inſcriptum eſt majus dimidio circumſcripti circuli.*

Nam per ἐφάρμοσιν quadratum circumſcriptum eſt majus circulo: ideo etiam ſemiquadratum hoc eſt inſcriptum quadratum majus ſemicirculo.

Sequitur jam inſcriptio quinquanguli: ad cujus inſcriptionem opus eſt triangulo cujus uterq; angulus ad baſin duplus ſit anguli reliqui. Et ſic in imparilateris reliquis opus eſſet triangulo cujus uterque angulus ad baſin ſit multiplus reliqui: ſi haberi poſſet.

7. *Si recta ſecetur proportionaliter: trianguli crurum ſectæ æqualium, baſis majori ſegmento æqualis, uterq; angulus ad baſin erit duplus reliqui: & baſis erit latus quinquanguli in circulum cum triangulo inſcripti.* 10.11.p.4.

Hic primo fabrica trianguli optati erit. Sit recta a e pro radio circuli: ea ſecetur proportionaliter per 3.e.14.R. in puncto o. deſcribatur circulus radio a e. tumq; per 11.e.1. à termino e inſcribatur e i æqualis majori ſegmento a o. & terminus i connectatur cum centro a. Fiet triangulum æquicrurum cujus anguli e & i æquantur: ut quod de uno probatum ſit de reliquo quoq; verum habeatur. Et hoc eſt triangulum optatum.



Ducatur enim recta i o & per 9.e.6. triangulo i o a circulus circumſcribatur.

Hunc circulum tanget recta e i. Nam ex theſi ut a e ad a o hoc eſt e i ſic e i ad e o. Ergo per 4.e.12.R. oblongum a e, e o æquatur quadrato reliquę e i. Ergo per 9.e.2. reliqua ipſa e i tangit datam peripheriam.

Itaque hinc ſequitur quod angulus e i a duplus ſit anguli ad a.

Nam æqualis duobus ęqualibus eſt duplus alterius: At angulus

lus e i a eſt æqualis angulis a i o, o a i æqualibus inter ſe.

Aſſumptionis partes duæ ſunt: quod e i a angulus æquetur di ctis duobus: quod duo iſti æquentur. prima hinc patet. quia angulus e i o æquatur angulo o a i in alterno ſegmento per 18.e.3. & reliquus a i o æquatur ſibi ipſi.

Secundo, æqualitas horum angulorum o i a, o a i inter ſe hinc manifeſta eſt.

Angulus e o i æquatur angulis o i a, o a i per 2.c.9.e.6.R.

Anguli o i a, o a i æquantur angulo e i a ut jam patuit.

At angulus e i a æquatur angulo o e i ex theſi.

Quare angulus e o i æquatur angulo o e i: itaq; per 10.e.6.R. o i æquabitur lateri e i. At e i ex theſi æquatur lateri a o. ergo o i æquatur lateri o a. & proinde anguli o i a & o a i per 10.e.6.R. æquantur. Et hinc jam generalis complexio eſt angulum e i a eſſe duplum anguli e a i.

Et ſic fabrica trianguli optati fuit: Secundo jam erit inſcriptio quinquanguli. Dico itaq; baſin e i eſſe latus quinquanguli cum triangulo inſcripti.

Inſcribatur enim triangulum a i o æquiangulum invento per 11. e.6. erit baſis i o latus quinquanguli inſcripti. Etenim ſint duæ rectę biſecantes angulum utrunque reliqui duplum: & cõnectantur cum angulis & inter ſe fient latera i o, i e, e a, a u, u o, æqualia. Nam cum anguli quinq;, biſecti duo & reliquus ſint æquales: per 5.e.3. peripheriæ quinque æquabuntur: & per 14.e.2. inſcriptæ, hoc eſt ipſa latera ſunt æqualia. jam inſcripto quinquangulo facile erit per 1.e quinquangulum ordinatum circumſcribere.



Et ſic recta proportionaliter ſecta quinquanguli adſcriptionem machinatur: ſed & inde viciſsim redditur linea proportionaliter ſecta.

8. Si duæ rectæ ſubtendunt duos deinceps angulos inſcripti quinquanguli ſecantur proportionaliter, & majora ſegmenta ſunt latera inſcripti. 8.p.13.

Elementi partes duæ ſunt: rectas ſecari proportionaliter: majora ſegmenta eſſe æqualia lateribus inſcripti quinquanguli.

Eſto igitur inſcriptum quinquangulum: & rectæ a i, u e ſubtendẽtes angulos deinceps a e i, u a e. Dico eas proportionaliter ſecari in s. ſecundo majora ſegmenta s i, s u æquari lateribus inſcripti. Quia itaque triangula a e i, u a e ſunt æqua angulo per 2.e.6. æquicruro ex theſi: ſunt æquilatera per 2.e.7.R. & per 1.e.7.R. æquiangula. & anguli a i e, a e u æquales. Sed in triangulis



s e a, e a i angulus a communis eſt. Quare per c.3.e.7.R. anguli a s e & a e i æquantur. itaque per 9.e.7.R. ut i a ad a e hoc eſt (ut mox patebit) i s ſic a e ad a s. Quare recta i a ſecta eſt proportionaliter in s. per 1.e.14.R. Eodem argumento u e ſecta eſt proportionaliter in s. jam ſecundo quod i s æquetur lateri inſcripti quinquanguli nempe a e inde patet.

Eidem æqualia ſibi ſunt æqualia.

At i s & a e ſunt eidem æqualia nempe e i. & quidẽ a e ex theſi i s vero per 10.e.6.R. Anguli enim i e s, e s i æquantur quia eidem ſunt dupli. Nam i s e æquatur duobus interioribus s a e, a e s per 2.c.9.e.6.R. æqualibus per 5. e. 3. itaq; alterius duplus eſt nempe anguli a e s. Sed & hujus duplus eſt angulus u e i per 5.e.3. inſiſtens nempe in dupla peripheria. Et hinc ſequitur complexio quæſita. Ergo e i, i s ſunt æquales. Atq; hinc patet fabrica quinquanguli ordinati ſuper datam rectam: quam ſequenti conſectario exponemus.

Itaq;

Itaq;

9. Si data recta secta proportionaliter continuetur utrinq; majori segmento, sexq; peripheriæ radio datæ concurrant, binæ utrinq; à terminis datæ & continuatæ, duæ reliquæ ab earum concursu: rectæ per concursus & terminos datæ constituent super datam quinquangulum ordinatum.

Esto recta a e super quam construendum sit quinquangulum ordinatum. Ea itaq; secetur proportionaliter in i. continueturq; utrinq; majori segmento a i illic e u hic a o: tum radio datæ ter-



minis e,u & o,a concurrant peripheriæ illic in s hic in r. jam terminis s & r eodem radio concurrant peripheriæ in m. & à terminis a & e ducantur rectæ a r, e s & ab r & s ducantur r m, s m. Erit quinquangulum a e s m r optatum. Nam cum recta a e secetur proportionaliter, & continuetur majori segmento: cótinuata secabitur proportionaliter per c. 3. e. 14. R. & data a e erit segmentum majus. & per 8. e. latus quinquanguli. Mechanici hodie compendium fabricæ habent tale: *Si quinq;* peripheriæ radio datæ concurrant, duæ à terminis datæ, tertia ab earum concursu, reliquæ à terminis rectarum è concursu tertiæ cum primis per sectionem bisecantis datam infinitè & tertiæ in primas: re-

ctæ

ctæ à concursu reliquarum per sua centra segmentum majus in terminos datæ constituent super datam quinquangulum ordinatum. ut hic data recta a e experiri potes.



10. Si diameter circuli quinquangulo circumscripti est rationalis: est irrationalis ad latus inscripti quinquanguli. è 11. p. 13.

Euclides hæc ita proponit: sed addit latus quinquanguli esse minorem irrationalem: quod ad Geometriam non multum attinet.

net. pendet autem elementum inde quod ſegmenta rectæ proportionaliter ſectæ ſunt irrationalia 2. e. 14. R. Sequitur inſcriptio ſexanguli.

11. *Radius circuli eſt latus inſcripti ſexanguli.* 15.p.4.

Sexangulũ per 2.e.inſcribi poſſet inſcripto triangulo ęquilatero biſectis nẽpe trib.angulis: ſed brevius hoc modo p radiũ inſcribit, ſexies repetitũ.



Eſto in circulo diameter a e. jam centro e radio e i. Deſcribatur peripheria u i o. & diametri à punctis u & o ſint u s, o y. Hæ connexæ & inter ſe & cum diametro a e inſcribent ſexangulum ęquilaterum dato circulo lateris radio æqualis: & etiam æquiangulum proindeq; ordinatum. utrumque demonſtrabitur hoc modo: primum

Triangula æqua angulo æquicruro æquantur baſibus. At hic triangula ſex æquicrura ſunt: Nam crura ſunt radii ejuſdem peripheriæ ergo æquales per 2. e. 1. ut i u, i e, & i e, i o item i o, i s & ſic deinceps: & æqua angulo æquicruro. Nam cum u i & u e item e i ſint radii æqualium peripheriarum ex fabrica. triangulum u i e eſt æquilaterum: quare u i e eſt $\frac{2}{3}$ recti per 3.c.10.e.6.R. Sed eodem argumento e i o eſt etiam $\frac{2}{3}$ recti proinde priori æqualis: ſed his duobus æquantur illic a i s hic y i a. per 2.c.8.e.5.R. ſed & a i s, e i o hoc eſt 1 $\frac{1}{3}$ recti de duobus rectis per 1.c.8.e.5 R. relinquent $\frac{2}{3}$ recti pro angulo s i o hoc eſt pro angulo y i u. Sex anguli itaq; æquantur.

Ergo baſes u e, e o, o s, s a, a y, y u ſunt ſex æqualia latera inſcri-

pta:æqualia radio ut in demonſtratione patuit:ſunt enim triangula æquilatera.

Quod ad ſecundum attinet nempe eſſe ſexangulum æquiangulum,id ex 2.e.6.ſequitur. Nam eſt jam demonſtratum æquilaterum.

Et eſt elementi hujus vulgatus uſus apud doliarios.ii enim volentes aptare dolio operculum congruum: inſcribunt ſexangulum dolio:& latus ſexanguli pro radio operculi retinent.

Circumſcriptio autem ſexanguli,è generali circumſcriptione ad 1 e dicta, eſt.

Itaq;

12. *Sexangula tria ordinata complent locum.*

Quatuor recti anguli complent locum planum 16. e. 4. R. At tres anguli circa idem punctum trium ſexangulorum æquantur quatuor rectis.Nam unus ſexanguli valet $\frac{4}{3}$ hoc eſt $1\frac{1}{3}$ recti, ut in præcedenti ſchemate patet per 5.e.3. Vel quia duplus eſt exem-



pli

pli gratia angulus u e o anguli u e i qui valet $\frac{2}{3}$ recti. erit ipse $\frac{4}{3}$ recti. aut quia 6 valent 8 rectos per 4.e.6.R. valebit unus $1\frac{1}{3}$. Ergo triplex erit $\frac{1\,2}{3}$ recti hoc est 4 recti.

Ergo sexangula tria complent locum. ut hic anguli ad a complent locum.

Aristoteles in doctrina cœli 8.c. 3. ordinatas figuras in planis tres locum complere ait: triangulum, quadratum, sexangulum. De triangulo constat è 4.c.10.e.6.R.

Quod ad quadratum attinet: speciatim nos τετράγωνον Aristotelis intelligere non est opus nisi synecdochicè pro rectangulo quolibet accipiatur. Nam quatuor rectangula qualiacunq; tandem complent locum 2.c.2.e.11.R. De sexangulo ex hoc elemento patuit.

Nec præter has est in planis figura ulla quæ locum compleat. Nam quinquanguli angulus est $1\frac{1}{5}$ recti per 4.e.6.R. Quare triplex erit $3\frac{3}{5}$ rect: quadruplex $4\frac{4}{5}$. Atq; ut illic quantitas necessaria deficit: sic hic redundat multoque magis si quinque aut sex quinquangula assumantur.

Eodem modo septanguli angulus est $1\frac{3}{7}$ recti. Nam 7 æquales æquantur 10 rectis. Ergo æqualium unus est $1\frac{3}{7}$ recti. Est itaq; duplex $2\frac{6}{7}$ recti triplex $4\frac{2}{7}$ illic minor hic major. ita angulus octanguli est $1\frac{1}{2}$ recti. Ergo duplex est 3 rectorum: sed triplex $4\frac{1}{2}$.

Et sic deinceps inducenti constare poterit tribus tantum planis compleri locum ordinatis triangulo & sexangulo ordinato: rectangulo quolibet.

Et

13. *Si rectæ ab uno inscripti sexanguli angulo in tertium utrinq; angulum connectantur: inscribent triangulum æquilaterum dato circulo.*

Hoc Theon è sua demonstratione deducit. Sit enim inscriptum sexangulum, jamque ab uno angulo sexanguli ad a in tertium utrinq; angulum e & i inscribantur rectæ a e, a i & connectantur: inscribent triangulum a e i æquilaterum. Nam latera

 subten-



ſubtenduntur peripheriis æqualibus a e, a i, e i. ergo per 14.e.2. latera ſunt æqualia. Et eſt hoc tantum hic ſpeciale de connexione duarum inſcriptarum. At latus ab uno inſcripti angulo in tertium eſſe latus inſcripti ordinati dimidii numero laterum 2.e. docebit.

14. Latus inſcripti trianguli poteſt triplum circularis radii. 12.p.13.

Eſto latus inſcripti trianguli æquilateri a e. dico id poſſe triplum radii o u. Nam a e ſubtendit duas tertias ſemiperipheriæ: & reliquam tertiam hoc eſt peripheriæ totius ſextã ſecat recta e u. Quare e u per 11. e. eſt latus ſexanguli vel radius. Hinc ita colligitur. latus trianguli & ſexanguli a e, e u æque poſſunt baſi, hoc eſt diametro a u per 5.e. 12.R. cum angulus ad e rectus ſit per 4.e.4.



At diameter poteſt quadruplum dimidii nempe radii o u, hoc eſt e u, per 7.e.12.R.

Ergo latus trianguli & ſexanguli poſſunt quadruplum lateris ſexanguli: ablato itaq; e u latere ſexanguli remanebit potentia a e ad e u potentiam tripla.

Hinc infinita ferè ſpecialia theoremata pro inventione lateris trianguli extiterunt. Et ſane Ptolemæus hinc latus trianguli inſcripti inveſtigat: ſi potentia radii triplicetur: triplicatę latus eſt latus inſcripti trianguli. ut ſi ſit radius 10,000,000. ejus potentia triplicata eſt 300,000,000,000,000. cuius latus

tus est 17, 320, 508 ferè. pro latere trianguli inscripti. Alii adhibent methodum generalem 6. aut 11. e. 4. alij aliter speciale theorema hoc fecerunt. Exempli gratia: trium quartarum quadrati diametri latus est trianguli æquilateri inscripti latus. Quod eodem recidit. Sed quia in thesauris sexanguli atq; trianguli versamur nec hoc μυροθήκιον occlusum relinquemus.

15. Si à termino lateris trianguli æquilateri inscripti duæ rectæ in puncta peripheriæ æqualiter à reliquo dicti lateris termino remota inscribantur: differentia inscriptarum æquatur inscriptæ inter reliquum terminum & alterutram inscriptam.

Esto in adjuncta figura latus trianguli æquilateri inscripti: sintq; à termino a inscriptæ duæ quæ cadant in puncta i & o æqualiter remota ab altero termino e. Sitq; a i æqualis a u erit ergo u o differentia inscriptarum.



Dico eam esse æqualem inscriptæ e o vel e i. Nam completè inscripto triangulo: angulus in sectione e o a erit $\frac{2}{3}$ recti. Sed e i supra eadem basi e a ęquatur angulus e o a per 15. e. 3. Sed & angulo e o u æqualis est angulus e u o per 10. e. 6. R. Nam anguli i a e, e a u æquantur & æquicruri sunt ex fabrica. Ergo per 2. e. 7. R. e u æquatur ipsi i e: hoc est ex thesi & 14. e. 2. e o. Quare e o & e u subtendent angulos æquales jam $\frac{2}{3}$ & $\frac{2}{3}$ recti de duobus rectis relinquunt $\frac{2}{3}$ pro angulo o e u. Ergo & angulus o e u, æquatur angulo o u e. proinde per 10. e. 6. R. o e & o u ęquantur. Atq; ita patet veritas. poterit vero transferri elementum etiam ad sinus per 10. e. 5. & ita quidem enunciari: *Differentia* sinuum peripheriarũ à sextante totius peripheriæ æquali differentia majoris & minoris æquatur sinui differen-

 tiæ.

tiæ. Conſectarium certe pro conſtructione canonis ſinuum notiæ. Conſectarium certe pro conſtructione canonis ſinuum nobiliſsimum. Atque ita ſexanguli & adjuncti trianguli inſcriptio fuit. Figura verò ſexangula vulgo Geometria apum vocatur. Apis enim, ait alicubi Varro, ſexangulam cellam ſibi architectatur, quot habet ipſa pedes: quod Geometræ ἑξάγωνον fieri in orbe rotundo oſtendunt: ut plurimum loci includatur. Hoc idem Pappo in Proœmio libri quinti copioſius demonſtratur. Et ita adſcriptionem habemus trianguli, quadrati, quinquanguli, ſexanguli, octanguli. jam ad ſeptangulum & nonangulum opus eſſet triangulo, cujus uterq; angulus ad baſin eſſet illic triplus hic quadruplus reliqui. in hujus inventione multum poſuiſſe operæ atq; ſtudii Geometras veteres accepimus. Quidam, ait Proclus, ab Archimedis helicibus incitati in datam rationem datum angulum rectilineum ſecuerunt. Conatus illos Geometricos P. Ramus ſcholis ſuis Mathematicis inſeruit lib. 12. in 4. Euclidis. qui illic perlegi poſſunt: artificium eſt difficile, multiplex & Varium: nec temporum proportio in Archimedeo theoremate ſatis Geometrica videtur: Et refutata à Nonio hæc eſt adſcriptio. Mechanici tamen ſeptangulum inſcribunt opera ſexanguli hoc modo.

16. *Perpendicularis à centro in latus inſcripti ſexanguli, eſt latus inſcripti ſeptanguli.*

Eſto enim inſcriptum ſexangulum: & à centro o ſit perpendicularis o u. Dico perpendicularem o u eſſe latus inſcripti ſeptanguli. Detur radius partium 10 totidem erit latus a e. jam quia a e biſecatur in u per 19. e. 1. erit e u partium 5. & proinde u o erit $8\frac{11}{17}$. Quare u y erit $1\frac{6}{17}$. jam ſex perpendiculares ſunt æquales pro ſex lateribus: pro ſeptimo ſunt ſegmenta radiorum ſex inter latera ſexanguli & peripheriam: quæ æquantur uni è perpendicularibus dictis. Nam ſegmentum unum eſt $1\frac{6}{17}$. ergo ſex reſtituunt ferè unam perpendicularem.

Atq;



Atq; hæc Mechanicorum ſeptanguli eſt inſcriptio: per quam etiam circumſcriptio eſt ex 1 e. Sequitur de decangulo.

17. Si latus ſexanguli ſecetur proportionaliter: majus ſegmentum erit latus decanguli.

Eſt Pappi lib.5.theor.24.& habet Campanus ad 3.p.14.Commandinus ad 9.p.13.

Secetur enim radius a o ſeu latus ſexanguli proportionaliter per 3.e.14.R.& ſit a e æqualis majori ſegmento. Dico a e eſſe latus decanguli. Eſt enim peripheria a e ſubdecupla totius peripheriæ. Ergo & inſcripta ejus eſt latus decanguli.

Hujus ἀπόδειξις hæc eſt. A' centro o in terminum e ducatur radius: fiet triangulum æquicrurum a o e cujus anguli ad a & e per 10. e. 6. æquantur: & uterque duplus eſt anguli a o e per 7. e. Nam a o ex theſi ſecatur proportionaliter & a e & majus ſegmentum.

Ergo angulus a & e ſimul eſt quadruplus anguli o.

At angulis o a e,a e o æquatur angulus e o u per 2. c.9. e.6.R.

Quare

Quare & angulus e o u est quadruplus anguli e o a. & per 5.e.3. peripheria u e quadrupla est peripherię a e. jam addita a e ad e u semiperipheria circuli erit quintupla ipsius a e, & proinde tota peripheria decupla. Quare subtensa a e est latus decanguli.



Itaq;

18. *Si decangulum & sexangulum eidem circulo inscribantur: recta è latere utriusq; continuata secabitur proportionaliter, & majus segmentum erit latus sexanguli: & si majus segmentum rectæ proportionaliter sectæ est latus sexanguli: reliquum erit latus decanguli.* 9.p 13.

ut in præmissa figura a e sit latus decanguli inscripti, e i verò radius hoc est latus sexanguli. dico rectam a i secari proportionaliter in e. Nam per 17.e. a e est majus segmentum rectæ e i sectæ proportionaliter. est enim ex thesi latus decanguli: & continuatur recta e i majori segmento. Ergo per c.3.e.14. tota continuata secabitur proportionaliter in e. & majus segmentum erit data e i latus nēpe sexanguli. unde etiá consequitur fore ut a e sit

latus

latus decanguli ſi e i ſit latus ſexanguli & tota a i ſecta proportionaliter. Et hinc ſequitur inventio lateris decanguli Ptolemaica.

Et

19. *Latus ſimul utriuſq; quadrati radii & ſemiradii minus ſemiradio eſt latus inſcripti decanguli.*

Sint in dato circulo diametri inter ſe rectæ a e, & i o. biſecetur radius o e in u connectaturq; i u. atq; rectæ i u æqualis ponatur u y. Dico jam o y eſſe latus inſcripti decanguli. Nam recta e y eſt ſecta proportionaliter in o & ſegmẽtum majus e o eſt latus ſexanguli, quia ex theſi eſt radius. ideo per 18. e. y o erit latus decanguli.



Quod autem ſectio proportionalis ſit ad o hinc patet. Quia enim o e eſt biſecta & continuata per 7. e. 13. R. oblongum e y, y o cum quadrato o u æquatur quadrato y u hoc eſt ex fabrica i u.

At quadratum i u æquatur quadratis i o, o u. Quare oblongum e y, y o cum quadrato o u æquatur quadratis i o, o u & ablato quadrato communi o u. oblongum e y, y o æquabitur quadrato i o hoc eſt ex theſi o e. itaq; per 4. e. 12. R. ut e y ad o e ſic o e ad y o. & proinde per 1. e. 14. R. recta e y eſt ſecta proportionaliter in o. Quare patet y o eſſe latus decanguli. jam quia datur radius i o & ſemiradius o u dabitur per 5. e. 12. R. recta i u nempe baſis trianguli rectanguli. Sed i u æqualis ex theſi eſt y u. Ergo inde ſublato u o ſemiradio relinquetur o y latus decanguli.

ut ſi detur radius 10,000,000. erit ejus potentia

100,000,000,000,000 & potentia ſemiradii
25,000,000,000,000

125,000,000,000,000 Hujus latus tetragonicum eſt
o 11,180,

11,180,340. inde ablatus ſemiradius relinquit 6,180,340. pro latere inſcripti decanguli.

20. Si decangulum, ſexangulum & quinquangulum eidem circulo inſcribantur: latus quinquanguli poteſt latera reliquorum: & ſi recta poteſt latera ſexanguli & decanguli: eſt latus quinquanguli. 10.p.13.

Eſto latus inſcripti quinquanguli a e, ſexanguli e i, decanguli a o. Dico jam a e poſſe reliqua. Ducantur enim perpendiculares i o biſecans latus quinquanguli, i u biſecans latus decanguli cõcurrens cũ latere quinquãguli in y.



Syllogiſmus demonſtrationis ſic eſt:

Oblõga è latere quinquanguli & ejus ſegmẽtis a e, e y & e a, a y æquantur quadratis reliquorum laterum illic e i hic a o.

At quadratum lateris quinquanguli æquatur oblongis è toto & ſegmentis per 3.e.13.R.

Ergo quadratum lateris quinquanguli æquatur quadratis lateris ſexanguli & decanguli.

Aſſumptio dubia non eſt: propoſitio eſt. Ejus igitur proſyllogiſmus attendatur.

Bis bina triangula a e i, y e i & a o e, a o y ſunt æquiangula.

Ergo per 9. e. 7. R. ſigillatim bina cruribus ſunt proportionalia. eritq; illic

ut a e ad e i ſic e i ad e y

hic verò

ut e a ad a o ſic a o ad a y.

Et

Et per 4.e.12.R.illic oblongum a e,e y quadrato e i hic oblongum e a,a y quadrato ao æquale exiſtit.Et ita ſyllogiſmi conſtat propoſitio. Sed & pro ſyllogiſmi antecedens hoc modo demonſtratur. & primo quod triangula a e i,y e i ſint æquiangula.Nam angulus ad e communis eſt:& angulus e i y,angulo e a i ęquatur.

Nam ejuſdem dimidia æquantur ex Arithmetico axiomate.

Anguli e i y,e a i ſunt anguli e i s dimidii.

Nam primo angulus e i s æquatur angulis i e a,i a e per 2.c.9.e. 6.R.æqualibus per 10.e.6.R.Ergo alterius e a i eſt duplus.

Secundo peripheria s r e eſt peripheriæ e o u dupla. Nam ſemiperipheria a l s æquatur ſemiperipheriæ a r s. item a l ipſi a r. Ergo l s æquatur reliquæ r s. ſed his etiam æquatur e o.per 1 e. Quare r l hoc eſt e r dupla eſt ipſius r s hoc eſt eo.& r s dupla ipſius o u.nam ex theſi o a hoc eſt e o id eſt r s biſecatur in u. Quare tota s r e dupla eſt peripheriæ e o u.

Itaq; per 5 e 3.angulus e i s duplus eſt anguli e i y. jam cum in triangulis a e i & y e i bini æquentur anguli per c.3.e.7.R. erunt æquiangula.

Secundo triangula quoque a o e, a o y eſſe æquiangula patet. communis enim angulus ad a eſt. & angulus a o y æqualis eſt angulo a e o. Nam eidem æquantur nempe angulo o a y illic per 2.e.7.R.hic per 10.e.6.R.illic enim perpendicularis i u biſecans a o facit triangula duo o u y, y u a æqua angulo ad u recto æquicruro.quare æquilatera & æquiangula: hic vero e o,o a per 10.e.6.R.ſubtendunt angulos æquales. Cum itaque bini anguli ſint æquales triangula a o e, a o y erunt æquiangula per c.3.e. 7.R. Atque ita conſtat & demonſtrationis propoſitio,propoſitionisq; proſyllogiſmus.

Converſâ Euclides adhibet in demonſtratione inſcriptionis Icoſaëdri in ſphæra 16.p.13. Et Prol.9.c.1. inde latus quinquāguli inveſtigat hoc modo.



Repetita figura 19. e. patuit o z yo

y o esse latus decanguli: & i o est latus sexanguli. Quia jam hæc, inquit, potest per 5. e. 12. R. recta i y: ea erit latus quinquanguli. ideoque notis y o & i o facile dabitur i y. Sit enim y o partium 6,180,340. & i o partium 10,000,000. erit i y latus quinquanguli partium 11,755,704 ferè.

21. Si triangulum & quinquangulum eidem circulo inscribantur ad idem punctum: recta inscripta inter utriusq; basin dicto puncto oppositam erit latus inscripti quindecanguli. 16.p.4.

Inscribantur enim à puncto a. eidem circulo triangulũ & quinquangulum: & inter utriusq; basin puncto dicto oppositam sit inscripta ei. dico eam esse latus quindecanguli. Est em̃ peripheria ei $\frac{1}{15}$ totius.

Nam peripheria a e est $\frac{1}{3}$ totius & a i sunt $\frac{2}{5}$ totius. jam si tollas $\frac{1}{3}$ de $\frac{2}{5}$ relinquetur $\frac{1}{15}$ totius peripheriæ. Et hinc patet inventio lateris quindecanguli ista.



Itaq;

22. Differentiæ sinuum sextæ ac decimæ peripheriæ partis primorum & secundorum possunt inscriptam quindecanguli.

Esto sit a e $\frac{1}{6}$ peripheriæ e i vero $\frac{1}{10}$: sintque horum sinus a o, i y primi quidem, secundi o e, y e sitq; differentia primorum a s. secundorum y o hoc est per 2.c.6.e.10.R. i s. jam per 5.e.12.R. i s & s a possunt inscriptam a i. Ea autem est latus quindecanguli. Nam si compleatur circulus, dupla a e erit $\frac{1}{3}$ dupla i e $\frac{1}{5}$ periphe-

riæ

riæ & i y, a o dupla per 19. e. 1. fient latera trianguli & quinquanguli & quidē bases inscriptorum ab eodem puncto. Ergo per 21. a i erit latus quindecanguli. Hinc jam patet inventio ejus. Nam latus trianguli inventum est ergo & semissis nempe a o dabitur pro sinu sextæ partis 8,660,254.



At lateris quinquanguli semissis 5,877,852.
Ergo a s erit 2,782,402.

Atque cum dentur arcuum a e, i e sinus primi: dabuntur etiam sinus complementorum per 9. e. 5 illic 5,000,000 hic 8,090,170.

Et per 17 e 5 sinus secundus	o e	5,000,000
Et	e y	1,909,830
Itaq; y o vel i s		3,090,170.

Quare per 5. e. 12. R. inscripta a i hoc est latus quindecanguli erit partium 4,158,234 ferè.

Et

23. *Si quinquangulum & sexangulum eidem circulo inscribantur ad idem punctum: peripheria inter utriusq; latera erit pars tricesima totius peripheriæ.*

Hæc est inscriptio quindecanguli duplicati, hoc est triangulati ordinati cujus anguli sunt 30. itaque & sexangulo utitur, duplicato scilicet triangulo. inscribatur ad idem punctum a sexangulum & quinquangulum. Sitque peripheria e i inter ipsorum latera. dico eam esse $\frac{1}{30}$ peripheriæ totius. Nam a e $\frac{1}{6}$ de a i $\frac{1}{5}$ relinquit e i $\frac{1}{30}$.

Quare hinc patet inscriptio trigintanguli. Nam inscripta e i est latus.

Generalis tamen duplicati ordinati multanguli inscriptio

per 2. e. expeditior est. Elemẽtum proximum latus quindecãguli sup peditavit. Ergo 2.e. latus trigintanguli docebit. & ejus etiam longitudinem : quam si inquiras invenies fere 2,090,570.



TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI, LIBER OCTAVVS.

De tetragonismo circuli.

Geometria circularis conjuncta: & adscriptio rectilinei & circuli geodæsiã nobis subministravit multanguli ordinati 4.e.6. Eadem geodæsiam ac dimensionem circuli concedet. Dimensio isthæc tetragonismus & vulgo quadratura circuli dicitur. Argumentum certè mathematicum nobilibus omnium ætatum animis tanquam perpetuum exercitium propositum. Brisonis quadratura ab Aristotele citatur primo poster. & Elench. ubi legi poterit: additis Alexandri commentariis, quibus summa demonstrationis Brisonicæ repetitur. Verum ut hic parum profecit: ita & Aristoteli parum effecisse Antipho visus est: imo 2. c.1. physicorum gravis ejus paralogismus notatur: & veluti responsione

Geometrica

Geometrica indignus à philoſopho ablegatur. Quare in arenam hanc cum deſcenderint & veteres plurimi è recentioribus etiam non pauciores: maximè negotium hoc Archimedes promoviſſe videtur. Nodus quæſtionis eſt in ratione diametri & peripheriæ. Eam Archimedes talem demonſtravit: qualis etiamnum hodie in geodæſia retinetur. Rationem certè aſcibilem nō arbitror: cum ratio curvi ad rectum ſæpe dati poſsit: & peripheria in planū motu ſuo extendi poſsit: ut in rotis currum obſervare licet. Etſi vero in peripheria non ſit principium nec finis: hypotheticum tamen principium ejus dari, & hypothetico fine claudi non eſt dubium. Sed rationem Archimedeam doceamus.

1. *Peripheria eſt tripla diametri & ferè ſeſquiſeptima.*

Demonſtrat Archimedes habere peripheriam ad diametrum rationem minorem tripla ſeſquiſeptima, majorem tamen tripla ſuperdecupartiente ſeptuageſimas primas. Sed quia exceſſus vicinior erat ſeſquiſeptimæ quam ſeſquioctavæ, ideo ſeſquiſeptima retenta fuit: pro ipſo vero, quod vero erat propinquum.

Demonſtratio ergo duarum partium eſt: prima peripheriam eſſe triplam diametri, & paulo ſeſquiſeptima diametri minorem: Secunda eſſe triplam & majorem decem ſeptuageſimis primis ideoq; una octava.

Demonſtratio autem eſt facta collatione illic majorum hic minorum: collatione nimirum multanguli laterum 96 æqualium adſcripti cum circulo. Sed primam partem primò expediamus. ac latus multanguli optati circumſcripti inveniamus.

Sit circulus e i o ex centro a deſcriptus: & ſit tangens u y. ſitq; radius utrinq; à termino i inſcriptus nempe i o, i e pro ſexanguli lateribus.

jam i o arcus hoc eſt $\frac{1}{6}$ peripheriæ biſecetur per 13. e. 3. recta a y. erit ergo per 5. e. 3. angulus i a y $\frac{1}{12}$ totius peripheriæ hoc eſt $\frac{1}{3}$ anguli recti. Nam $\frac{1}{12}$ quatuor rectorum eſt $\frac{1}{3}$ unius recti. jam ponatur i u æqualis rectæ i y & connectatur a u. erunt duo triangula u a i. i a y æqua angulo ad i æquicruro. Ergo & æqua baſibus a y, a u. itaq; & æquiangula per 1. e. 7. R.

Quare



Quare angulus u a y erit $\frac{2}{5}$ recti. Nam uterque particulatim æquatur sibi: & unus ex thesi est $\frac{1}{5}$.

Sed & anguli a u i, a y i æquantur. Est autem alterutrer $\frac{4}{5}$ recti nempe sublato angulo i a y $\frac{1}{5}$ de recto uno. Est itaq; triangulum u a y

u a y æquilaterum:& proinde a u erit duplum ad u i. Quare ſi u i ſit 153, biſecans a u valebit 306. jam ſi quadratum perpendicularis u i 23,409 de quadrato ſecantis a u 93, 636 ſubduxeris: reſtabit quadratum radii a i per 5.e.12.R.70,227. Cujus latus erit 265 ac paulo plus, id ſic deinceps notetur 265+- .Quare ex axiomate arithmetico quod eſt 8 p 5 Euclid. ratio radii a i ad tangentem u i ſit major quam 265 ad 153. Hoc ergo triangulum a i u lateribus ſuis ita dimenſum fundamentum eſt multiplicis ſectionis anguli u a i.& laterum in factis hinc triangulis inventionis. primum itaq; angulus ſubtertius recti u a i biſecetur per 6.e.5.R.recta a s:& fiet angulus s a i $\frac{1}{6}$ recti.itaq; per 12.e.6 R.

ut a u ad a i ſic u s ad s i.

& per additionem proportionum

ut a u & u s
a i ad a i ſic s i ad s i

Et alterne

ut a u & u s &
a i ad s i ſic a i ad s i.

Quare ratio ſimul utriuſque cruris a u & a i 306 & 265+- id eſt 571+- ad 153 erit etiam ratio a i ad conterminum ſegmentum s i: major nempe ratione 571 ad 153.ut ſi ſegmentum s i valeat 153 radius valebit plus quam 571.

Et ſic in triangulo a i s crura recti ſunt menſa. ubi numerus ſegmenti i s eſt qui fuit totius i u.quod etiam deinceps ſervabitur. jam vero quadratum i s ſit 23, 409. at quadratum a i 326, 041. totum 349,450 +- erit per 5. e. 12. R. pro ſecunda biſecante nempe a s.latus vero erit 591$\frac{1}{8}$+-.

Et hæc fuit prima diviſio anguli tertiarii, ſequitur ſecunda. Biſecetur itaq; angulus s a i:erit proinde r a i $\frac{1}{12}$ recti, nempe dimidius dimidii unius tertiæ unius recti $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ hoc eſt $\frac{1}{12}$. Erit itaq; rurſus

ut a s ad a i ſic s r ad r i. Et
ut a s & a i ad s r & r i ſic a i ad r i.

Quare ratio ſimul utriuſque cruris a s, a i 591$\frac{1}{8}$+- & 571+- hoc

eſt 1,162$\frac{1}{8}$+- ad 153 erit etiam ratio a i ad conterminum ſegmentum r i: major nempe ratione 1,162$\frac{1}{8}$ ad 153. Fiant jam quadrata radii 1,162$\frac{1}{8}$ & contermini ſegmenti r i erunt 1,350,534$\frac{33}{64}$ & 23,409 totũ aũt per 5. e 12. R. pro biſecante a r & ipſa a r 1,172$\frac{1}{8}$+-.

Atque hæc ſecunda anguli fuit biſectio: triangulumq́; tertium lateribus dimenſum. Sequitur tertia biſectio anguli ſcilicet r a i. Fiat itaq; angulus m à i $\frac{1}{24}$ unius recti. eſt eñ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ hoc eſt $\frac{1}{24}$. erit ergo per præmiſſas ratiocinationes ratio ſimul utriuſq; cruris a r, a i 1,172$\frac{1}{8}$+- & 1,162$\frac{1}{8}$+- hoc eſt 2,334$\frac{1}{4}$+- ad 153. Eademq́ue a i ad i m major nempe ratione 2,334$\frac{1}{4}$ ad 153. jam adde quadrata crurum 5,448,723$\frac{1}{16}$ & 23,409: totum erit pro quadrato a m. & latus 2,339$\frac{1}{4}$+- pro latere a m.

Atq; hæc fuit tertia biſectio, quartiq́; trianguli laterum dimenſio. & hic habemus $\frac{1}{96}$ totius peripheriæ. Nam u a i fuit $\frac{1}{12}$. Ergo $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{12}$ erit $\frac{1}{96}$.

Sed ratio totius diametri ad ſegmentum tangentis non ſuccederet. itaq; angulus æqualis jam inventus aliter inveniendus eſt, addendo æqualem ad inventi dimidium.

Quare ſequatur jam quarta biſectio anguli nempe m a i per rectam a n. Erit ergo n a i $\frac{1}{48}$ unius recti nempe $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ hoc eſt $\frac{1}{48}$.

Hic jam ratio per præcedentes ratiocinationes a i ad i n, eſt ratio utriuſque cruris m a & a i hoc eſt 2,339$\frac{1}{4}$+- & 2,334$\frac{1}{4}$+- id eſt 4,673$\frac{1}{2}$+- ad 153. Atq; hactenus anguli ſectio quintuplex fuit.

jam ponatur angulo n a i æqualis angulus i a t: Erit ergo angulus n a t æqualis angulo m a i hoc eſt $\frac{1}{96}$ totius peripheriæ, ut paulo ante patuit. n t itaq; erit latus multanguli laterum 96 circumſcribendi: quod nonagies ſexies deinceps paribus intervallis circa peripheriam circumſcriptum totam figurã complebit.

Hiſce fabricis biſectionis angulorum & triangulorum dimenſionibus abſolutis ratio propoſita ſic colligitur.

Radius a i ad ſegmentum i n majorem rationem habet quam 4,673$\frac{1}{2}$ ad 153. ut jam innotuit.

At ut radius ad i n ſic diameter ad n t. Eſt enim diameter dupla

pla radii & n t dupla i n: & partea multiplis sunt proportionales.

Tota igitur diameter ad n t majorem habet rationem quam $4,673\frac{1}{2}$ ad 153. At si 153 per 96 multiplices facies perimetrum circumscripti multanguli 14,688. jam ratio perimetri multanguli ad diametrum est tripla major $667\frac{1}{2}$ ipsius diametri: quemadmodum ex arithmetica rationum investigatione patet. Vel sic: à perimetro ter tollas 4,673 restabunt 669. inde rursus $\frac{1}{2}$ ter ablata relinquit $667\frac{1}{2}$ ipsius diametri. At hæc minor est quam septima pars diametri. Nam septies $667\frac{1}{2}$ sunt $4,672\frac{1}{2}$. numerus unitate scilicet minor quam diameter. Ergo perimeter multanguli laterum 96 circumscripti tripla est diametri circularis, sed paulo minor sesquiseptima, unitate nimirum unius septimæ. Quare & peripheria tripla quidem diametri est, sed multo minor sesquiseptima. Est enim contenta peripheria inscripti circuli. Ergo continente perimetro nonasexanguli circumscripti minor.

Atq; hæc demonstrationis pars prima fuit: altera superest:

Peripheriam ad diametrum triplam esse & multo sesquioctava majorem.

Fabrica est hic primo ut ante inscriptionis nonasexanguli per quintuplicem anguli sectionem & triangulum quintuplex. inde ratio inscripti docetur ad diametrum tripla & major sesquioctava. Sed fabrica doceatur. Sit circulus o e i. cum inscripto sexangu li latere i e. connectaturq; e cum termino diametri o: erit angulus i o e $\frac{1}{3}$ recti. Nam ducto radio e a triangulum i a e est æquilaterũ, & per 3.c.10.e.6.R. angulus i a e est $\frac{2}{3}$ recti. Quare per 9. e.3. angulus i o e erit $\frac{1}{3}$ recti: nempe dimidius anguli in centro.

Atq; hæc ut prima anguli sectio est: sic triangulum e i o est primum in fabrica hac. Ejus latus o i est duplum lateris e i: diameter nempe sui radii. itaq; si sumamus mensuram radii 780 (Orontius ut ante tangentis e i mensuram posuit 11 sic hic radium facit 15) erit diameter o i 1,560. jam tolle quadratum radii 608,400 de quadrato diametri 2,433,600. relinquetur per 5.e.12.R. 1,825,200 pro quadrato e o: cujus quadrati latus est paulo minus quam 1,351. id sic deinceps notari poterit 1,351—. Quare secans e o ha-



bebit

bebit minorem rationem ad i e quam 1,351 ad 780. Atq; sic primi trianguli latera dimensa sunt.

Sequitur quadruplex subbisectio anguli i o e. Bisecetur itaque rectâ o u. & connectatur i & u. fient triangula o e y, o u i æquiangula. Nam anguli ad u & e sunt ęquales per 15.e.3: angulus etiam i o u æquatur angulo u o e ex fabrica. Ergo per c.3.e.7.R. reliquus reliquo erit æqualis. Quare per 9.e.7.R.

ut o e ad e y sic u o ad u i.

At ut i o ad i y sic o e ad e y per 12.e.6.R.

Ergo ut i o ad i y sic u o ad u i.

Et quia est ut e o ad o i sic e y ad y i: erit per compositionem proportionum.

ut e o & e y &

o i ad o i sic y i ad y i.

itaq; alterne

ut o i ad y i sic e o & o i ad e y, & y i hoc est e i.

Sed ut o i ad i y sic u o ad u i.

Ergo ratio u o ad u i est ratio e o & o i ad e i.

Hic enim numerus perpendicularis manet, qui postea si non ratione: terminis tamen rationis variatur.

Addantur itaq; e o, & o i hoc est 1,351— & 1,560. totū 2,911— erit o u. Quare minor ratio est u o ad u i quam 2,911 ad 780. jam addantur quadratum u o 8,473,921— & quadratū u i 608, 400: totum per 5.e.12.R. erit quadratum diametri i o. totiusque latus erit 3,013$\frac{4}{6}$, $\frac{1\ 5\ 2}{0\ 2\ 7}$ hoc est 3,013$\frac{3}{4}$— Quare diameter o i ad u i minorem habet rationem quam 3,013$\frac{3}{4}$ ad 780.

Atq; sic prima fuit bisectio anguli & secūdi trianguli dimēsio.

Secundo itaq; bisecetur angulus i o u rectâ i s. erit ergo angulus i o s $\frac{1}{12}$ recti unius nempe $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ hoc est $\frac{1}{12}$. jam connectatur recta o s secans, cum termino i.

Quia igitur per præmissum ratiocinium triangula m u o, i s o sunt æquiangula: erit

ut o u ad u m sic o s ad s i.

At ut i o ad i m sic o u ad u m p 12.e.6.R. & alternatis terminis.

Ergo ut i o ad i m sic o s ad s i.

Et hinc ut ante concludetur per compoſitionem proportionum eſſe s o ad s i ut u o & o i hoc eſt 2,911— & 3,013$\frac{3}{4}$ id eſt 5,924$\frac{3}{4}$ ad s i 780. Reducatur jam uterque terminus ad integra proportionalia, multiplicatione nempe per 4: habebuntur integri 23,699— & 3,120: rurſusq; integri reducantur per maximam menſurā communē 13 ad minores proportionales 1,823— & 240 hoc eſt ratio s o & s i minor eſt ratione 1,823 ad 240.

jam addantur quadrata reductorum 3,323,329— & 57,600. totū erit pro diametro o i 3,380,929. totiusq; latus erit 1,838$\frac{2685}{3677}$. Quare diameter o i ad s i minoris eſt rationis quam 1,838$\frac{9}{11}$ ad 240. Et hæc ſecunda fuit biſectio & tertii trianguli dimenſio.

Tertio biſecetur angulus s o i per rectam o r. Triangula erunt ut ante æquiangula. ratio o r ad r i connectentē, erit ratio o i diametri & s o hoc eſt 1,823— & 1,838$\frac{9}{11}$— id eſt 3,661$\frac{9}{11}$— ad 240. Reducito hic partes ad integra proportionalia multiplicatione per 11 facies 40,280 & 2,640 hoc eſt facta diviſione per communem menſuram maximam 1,007— ad 66. Horum jam quadratis 1,014,049— & 4,356 additis, totum erit quadratum diametri, diameterque ipſa 1,009$\frac{1}{6}$— Quare i o ad r i eſt rationis minoris quam 1,009$\frac{1}{6}$ ad 66.

Hæc tertia erat biſectio ubi angulus r o i eſt $\frac{1}{24}$ recti: nempe $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ hoc eſt $\frac{1}{24}$: Et dimenſio fuit trianguli quarti.

Quarto jam biſecetur angulus r o i per rectam o t. Triangula erunt ut prius æquiangula: & ratio i o diametri & r o hoc eſt 1,007— & 1,009$\frac{1}{6}$— id eſt 2,016$\frac{1}{6}$— ad 66 erit ratio o t ad t i. jam adde quadrata o t, t i 4,064,828$\frac{1}{36}$— & 4,356. totum erit pro quadrato diametri. & tum diameter erit 2,017$\frac{1}{4}$— Quare diameter o i ad i t eſt minoris rationis quam 2,017$\frac{1}{4}$ ad 66. Contraq; latus i t ad i o majoris eſt rationis quam 66 ad 2,017$\frac{1}{4}$. Et ſic quarta fuit anguli biſectio: ubi t o i eſt $\frac{1}{48}$ recti. & quidem $\frac{1}{96}$ peripherię. Nam u o i eſt $\frac{1}{12}$ ergo s o i eſt $\frac{1}{24}$ & r i o $\frac{1}{48}$ itaq; t o i $\frac{1}{96}$ totius peripheriæ. Quare recta i t eſt nonageſima ſexta pars inſcripti multanguli. Neq; modus ille duplicati anguli è prima parte huc repetitur: quia ſumitur tota diameter non radius. itaque fabrica

ſic

ſic eſt:per quam inventum latus nonagies ſexies inſcriptum totam peripheriam ſubtendet. Hinc jam ipſa ratio ita patet. cum latus inſcripti ſit 66. hoc per 96 multiplicatum, faciet perimetrum totam 6,336. At diameter eſt 2,017$\frac{1}{4}$. Quare ratio 6,336 ad 2,017$\frac{1}{4}$ eſt tripla major 284$\frac{1}{4}$ ipſius diametri ut ex Arithmetica inventione conſtat. Vel, ut ante, è perimetro tolle 2, 017 remanebunt 285. hinc tolle ter $\frac{1}{4}$ hoc eſt $\frac{3}{4}$ relinquentur 284$\frac{1}{4}$ ipſius diametri. Hæc reliqua majora ſunt $\frac{1}{7}\frac{0}{1}$ ergo quam $\frac{1}{8}$ majora exiſtunt. itaq; perimeter inſcripti multanguli ſuperat diametrum triplo & ſeſquioctavo. ideoq; peripheria major, quia continens, multo magis ſuperat.

Quare ut tota Archimedea demonſtratio concludatur: peripheria diametri eſt tripla & ferè ſeſquiſeptima. Minor enim eſt ſeſquiſeptima, major ſeſquioctava. ſed propior ſeſquiſrptimæ: illic enim deeſt unitas unius ſeptimæ: hic reliquum partibus plurimis majus quam $\frac{1}{7}\frac{0}{1}$ & ideo quam $\frac{1}{8}$. Quare vicinum magis & vero propinquum aſſumptum.

Et hoc Archimedeum ratiocinium tota poſteritas fermè retinuit: eoq; vulgo data diametro aut peripheria alterutrum inveſtigatur. ſtatuitur enim peripheria talium 22 qualium diameter eſt 7. Ergo ſi detur peripheria 88. erit ut

22 ad 7 ſic 88 ad 28 pro diametro quæſita. Et ſic deinceps.

Detur rurſus diameter 56. Quæritur in tali menſura peripheria. Erit ergo

ut 7 ad 22 ſic 56 ad 176 pro peripheria quæſita. Non eſt occluſa via perveniendi etiam Archimedeo modo ad accuratiorem rationem. poterit enim aſſumi multangulũ adſcribendum multorum laterum aliquot centenorum aut millenorum millium. & radius ſimiliter partium vel centies millies millenarum millium. Nam tum accuratius inveniri terminos rationis nullum eſt dubium. Hoc cuilibet Mathematum candidato tractandum relinquo. Et hinc jam geodæſia circuli eſt.

Itaq;

2. *Planus è radio & peripheriæ dimidio eſt area circuli.*

Archimedes

Archimedes in dimensione circuli triangulum è semisse perimetri tanquam altitudine & diametro tanquam basi circulo æquat. Hinc varia exciterunt axiomata, planum radii & peripheriæ duplum esse areæ circuli, Theon 2. c. 1. in Ptolem. & paulo post: Planum semissis radii & perimetri esse aream. Rursus: Planum diametri & quartæ partis peripheriæ esse aream. Et alia plura. Quæ tamen ex elemento jam posito cognita parallelogrammi doctrina non erunt ignota.

Esto jam peripheria data 44. etiam ignota diametro. e a enim per 1 e dabitur 14.



jam planus è 7 & 22 hoc est 154 est area circuli.

Rectanguli autem hujusmodi oblongi latera duo opposita sunt in diametro: & in peripheria duo reliqua opposita continentur. Quare binorum dimidia assumuntur tantum: cum ab iis rectangulum comprehendatur per 1.c.2.e.11.R.

Et

3. ut 14 ad 11, sic quadratum diametri ad circulum.

Proportio diametri quadratæ ad aream circuli ex Archimedea illa ratione est. Et dantur hic tres termini proportionis potestate. unde circulus invenitur.

Sit

Sit enim diameter 14 ejus quadratum est 196. jam ut 14 ad 11, sic 196 erit ad circuli aream: quæ propterea erit 154 ut ante. Et hoc è dimenso circulo & quadrato per analysin patet. Nãm ratio 196 ad 154 est ratio 14 ad 11.

Et est hic tetragonismus paulo à superiori diversus: Estq; Euclidis apud Heronem propositus. paulo tamen secus eo scilicet modo quo à sphæricis (sic enim elementarii Astronomi salutantur) vulgò proponitur. Si de quadrato diametri $\frac{3}{14}$ tollantur: relinquetur area circuli. ut in addito exemplo experiri potes. Nam $\frac{3}{14}$ de 196 sunt 42 quibus ablatis de 196 relinquuntur 154 pro area circuli.

Et

4. *Planus è radio & peripheriæ quadrante est area semicirculi.*

ut retento superiori exemplo planus è 7 radio per 11 quadrantem peripheriæ nempe 77 est semicirculus. Sed, ut ex definitione semicirculi patet, potest dimensio isthæc fieri sumpto dimidio dimensi jam circuli.

Et

5. *Planus è radio & basis dimidio est area sectoris in centro.*

Ex eodem illo fonte segmentorum geodæsia perficitur. Sint circuli a e i tres sectores quorum bases sint a e 12 pedum, e i itidem pedum 12, a i vero pedum $7\frac{3}{7}$. Erit ergo per 1 e radius 5. diameter enim invenitur pedum 10. jam multiplica 5 per 6. factus erit sector alteruter æqualiũ nempe pedum 30. Rursus multiplica 5 in $3\frac{5}{7}$ quotus erit $18\frac{4}{7}$ pro tertio sectore. Et ex his additis totus circulus restituitur $78\frac{4}{7}$. quantus inveniretur esse ex præcedentibus.



Et

6. Si triangulum è duobus radiis & basi majoris sectionis addatur duobus in ea sectoribus centri: totus erit area sectionis majoris: sin detrahatur suo sectori: reliquum erit area minoris.

ut in præmisso schemate sit triangulum a o i pedum 12 nempe si a i basis majoris sit pedum 6: erit altitudo 4. hinc 6 per 2 aut 4 per 3 faciunt 12 pro area trianguli. jam si hęc duob. sectoribus suis a o e, e o i nempe 60 addatur: totus 72 erit area majoris sectionis a e i. Rursus idem triangulum tollatur de sectore a o i $18\frac{4}{7}$ remanebit minor sectio $6\frac{4}{7}$.

Hinc oritur etiam geodæsia plani ovati, & ejus quod vulgò Lenticula vocatur.

Esto enim ovale planum a o e u. cujus arcus æquales sint sigillatim pedum 14. & a o pedum 12. Sigillatim igitur metire a e o, & a u o. tãquam sectiones circuli minores: areæ enim particulares 27. & 27 colligent totam pedum 54.



At unde longitudinem radii capies: cujus noticia in dimensione sectionis requiritur? non alio certè modo: quam a o es dimensus absoluto sectionis circulo.

Offeratur jam lenticula, figura in cujus medio quadrangulum est: utrinq; è duobus ejus lateribus semicirculi. ut figura a y o u.

Ejus sit latus a i vel e o pedum 14. i o vero pedum 7. Erit proinde per tetragonismum circuli e y o vel a u i pedum 22.

Hinc area figuræ oblatæ facile datur. Nam factus è 14 per 7



hoc eſt 98 eſt area oblongi a o per 6.e.11. R.

Et alterutrius ſemicirculi area eſt 77. Quare figuræ totius area eſt 252. Et ſimilis geodæſia fuerit in figuris aliis miſtis.

Atque ita Geometria circularis ſimplex & conjuncta fuit. Verum inde non deſcendemus ad Sphæram: antequam hujus Geometriæ theſauros auro nobili quovis precioſiores introſpexerimus.

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER NONVS.

De canone triangulorum.

E Geometria circulari Canonem triangulorum in aſſumpta menſura tam peripheriæ quam diametri licet conficere.

Hoc nobis poſtulatum eſto: cujus fabrica ex ſuperioribus cuivis in promptu erit. Nam Canonem triangulorum vulgò vocant eum qui rectas ſemicirculi ad quadrantis partes deſcriptas continet. Talē huc transferre volui. Nihil à Geometriç ſublimitate cōmitti arbitror alienū: ſi termini circulares certa menſura definiantur. Sunt Mathematicorum hypotheſes multæ: licet iis qui regula falſi vulgari utuntur metam

ſibi præſcribere in aſſumptorum multiplicatione: quod ſic faciliтas quædam inſit. Et certè hypotheſi huic magna inerit facilitas. Sine enim ejuſmodi aſſumpta menſura præcepta calculi inſequentia difficillima & obſcura reddentur: cum propter exemplorum tractationem prolixam, tum etiam inveſtigationis tædium atq; laborem. Et poterit quælibet oblata alia ab aſſumpta diverſa menſura per regulam auream aſſumptæ accommodari. Retinebitur autem ea quæ Aſtrologis in cœlũ eſt derivata: quod ejus uſus non tantum cœli cardines cœleſtiumque domicilia diſtinxit: ſed & terram climatis diſtribuit: imò in omni re ſic menſuranda ſit adhibitus. Hypotheſis ergo menſuræ ſic erit:

2. Menſura peripheriæ aſſumpta ſic eſt: peripheria partibus 360 eſt diviſa: pars in 60 ſecatur ſcrupula prima: Scrupulum primum in 60 ſecunda: & ſic deinceps.

Pars vulgo gradus vocatur: ſed uſitatius & generalius hic eſt partis vocabulum. Diſtributio hæc Ptolemæi eſt: ante quem in uſu fuiſſe ex Eratoſthene & Hipparcho cognoſcimus menſuram peripheriæ partium 83. Vide Ptol. 10. c. 1. Pars deinceps quælibet in ſua eſt diviſa ſcrupula ſexageſima: quæ ſuis notis inſigniuntur hoc modo:

$\prime \quad \prime\prime \quad \prime\prime\prime \quad \prime\prime\prime\prime$

lineolis ad latus dextrum numeris adpoſitis. ut ſi ſcribas 10 prima 20 ſecunda 15 tertia. id hoc modo facies

$10'. \quad 20''. \quad 15'''.$

Vulgo etiam putantur habere peculiarem ut notationem ſic numerationem maximè conjunctam per tabulam Hexacontadon. At tabula hæc nil niſi reductionem continet factorum è datis terminis: nec ſemper ea nobis adeſt.

Retenta hæc fuit Ptolemæi diſtributio à poſteris tam partium peripheriæ quam partium minutorum: quod hi numeri 360 & 60 haberent plures menſores. itaq; & quotos viciſsim metientes: proindeq; eſſent ad numerationes aptiores & magis accommodati. Sunt enim numeri peripheriæ 360. menſores primi quidem

dem 1, 2, 3, 5. Compoſiti vero 4, 6, 8, 9, 10, 12, 15, 18, 20, 24, 30, 36, 40, 45, 60, 72, 90, 120, 180, 360, numero viginti quatuor: ut ex Arithmetica inventione patet.

Sic 60 invenies menſores duodecim 1, 2, 3, 4, 5, 6, 10, 12, 15, 20, 30, 60.

Sed typus utriuſq; exempli rem ob oculos ponet

1	360
5	72
3	120
15	24
9	40
2	180
10	36
6	60
30	12
18	20
90	4
45	8

Quo ſignificatur: ſi dividas 360 in 5 tum $\frac{1}{5}$ fore 72: ſi in 3 tum $\frac{1}{3}$ fore 120. Si in 90 tum $\frac{1}{90}$ fore 4. Vel contra ſi concipias 360 dividi in 72 tũ $\frac{1}{72}$ erit 5. ſi in 120 tum $\frac{1}{120}$ erit 3. ſi in 4 tũ $\frac{1}{4}$ erit 90.

Sic in menſura minutorum ac ſcrupulorum

1	60
3	20
5	12
15	4
2	30.
6	10

Si 60 in 3 dividas $\frac{1}{3}$ erit 20. ſi in 5. tum $\frac{1}{5}$ erit 12 vel contra: ut ex Arithmeticis inventionibus conſtat. Et hinc jam facile erit peripheriam in partes aſsis ſecare: quod utile eſt. Sæpe enim apud authores elegantiæ ſtudioſos aſsis nominibus anguli & arcus nominantur. Quare ut in promptu ſint hic accipe.

In partibus

uncia	30	Bes	240
Sextans	60	Dodrans	270
Quadrans	90	Dextans	300
Triens	120	Deunx	330
Quincunx	150	As	360.
Semissis	180		
Septunx	210		

unciæ partium nomina raro imposita hisce partibus leguntur.

Sic in scrupulis

As	60	Semissis	30	uncia	5
Deunx	55	Quincunx	25	Semuncia	2 30
Dextans	50	Triens	20	Duella	1 40
Dodrans	45	Quadrans	15		
Bes	40	Sextans	10		

non concipere liceret? sed quemadmodum nec radius circulus dicitur, quia circulus illic concipiatur: sic nec quadrans baculus vocabitur aut radius quia in eo radius concipi posſit. Sed heus: si de nomine lis eſt, voces quadrantem, voces radium: & ego his nominibus uſitatis utor. Si de re litigas: audi quid quæram: an non illic circuli centrum concipitur ubi viſus exit? imo dices: neque enim negare potes: Ergo ſi viſus exeat à termino peripheriæ quadrantis, quod ſæpè fit, ubi jam eo centro deſcripta peripheria in quadrante apparet. At inquis angulus qui fit à reliquo latere quadrantis & perpendiculo è centro, angulus eſt quæſitus: bene ſe jam res habet: id eſt idem quod ajo. Si viſus exeat à termino peripheriæ illic crus eſt radii unum: alterum eſt ex centro perpendiculum: angulus à radio optico & crure è dicto centro eſt angulus quæſitus: hoc eſt angulus qui fit à latere reliquo & perpendiculo. Ergo ut tandem tibi ſatisfaciam: Quemadmodũ in quadrante ſi non pro centro uſurpetur quod actu centrum eſt, peripheria quadrantis, ex altero centro, actu non exiſtit: ſic radii hoc eſt quadrantis crura actu adeſſe ſemper non eſt neceſſum. Sed nimis forſan hac de re: crura doceantur.

3. Crura radii ſunt index & tranſverſarium. quorum terminis dioptræ affixæ ſunt.

Reperiuntur hodie multi: qui egregiè ſe & terrena menſos eſſe & cœleſtes deſcripſiſſe diſtantias putant adminiculo radii. interim tamen ſine omnibus dioptris viſum expaciari ſinunt: cum tamen tanta viſus ſit hallucinatio: ut vix etiam dioptris conſtringi poſſit. Eſt enim ut omnium ſenſuum celerrimus ſic maxime diſsipalis. nec enim tantum à centro oculi aut vertice coni optici (cum Euclide enim loquamur) radii excurrunt: ſed ut in Sole ab univerſo corpore. Quare conſultum arbitramur viſum dioptris conſtringi: ut in rem tantum metiendam deferri poſſit.
Sed ecce figuram radii.

4. *Index*

a



e

i



o


C
K
90 85 80 75 70 65 60 55 50 45 40 35 30 25 20 15 10 5
k
A
60000 50000 40000 30000 20000 10000
m
n
b

4. Index est radii crus majus, à cujus termino visus est.

Id sic sumimus ut semper à termino indicis visus sit: Videtur enim sic esse facilitas quædam. in baculo sive radio index facile apparet. nam actu datur ut a e, in quadrante indicem concipi necesse est. Et ut facilius concipias: post indicis definitionem hanc quadrantis fabricam accipe. E' centro, quod actu datur, amussis sive regula est. Ea dioptras habet aut non habet: si habet per quas visus incidat: jam basis quadrantis est index. Si non habet amussis dioptras, hoc est si filum ex centro cum plumbea sphærula dimittatur: erunt in latere quadrantis dioptræ: itaq; recta è termino peripheriæ, ubi visus incipit perpendicularis regulæ dependenti, est index: aut recta è centro perpendicularis rectæ è termino peripheriæ est index: si nempe visus à centro per dioptras lateris sit. ut hic si visus sit ex a per e. a s erit index radii.



4. Transversarium est radii crus minus, per cujus terminum visus est.

Vocabulum hic transversarii est Vitruvii. in baculo transversarium actu datur i o. in quadrante definitio monstrabit transversarium in additis figuris e o.

Cæterum in usu radii utile est multa habere transversaria: par-

tim



tīm quę poſsint imponi ita indici ut ab ea biſecentur partim quę īmponantur ſine biſectione.

jam vero illud non eſt artis docere materiam inſtrumenti. parum enim intereſt modo ſolida ſit, firma, ſtabilis, lignea vel metallaris. Sed ut radium ad uſum melius accommodes: utrumq; ejus crus certis partibus definias neceſſe eſt. Sunt qui indici radium hypotheticum aſcribant: ſunt qui majorem ſunt qui minorem aſſumunt. Et id parum refert: modo ſecundum eandem menſuram & index & tranſverſaria particularia dividantur.

jam in uſu diſtantia juſta poſtulatur: nec enim viſus eſt infinitus. Vis optica requiritur in unum oculum diducta: cum unita fortius collimet. tranquillitas & immobilitas inſtrumenti neceſſaria eſt: manus itaq; quietæ ſint oportet: ſecus enim, ſi trepident, geodæſiæ turbabitur proportio. Sed & coincidentiam centri oculi cum centro circuli abſoluti uſus poſtulat. Secus enim radius opticus cum indice non angulum in centro, ſed ad aliud diametri punctum concludet. unde nova exiſtit geodæſię hallucinatio. Summopere itaq; hanc ἐκκεντρότητα & viſus παράλλαξιν

vitabimus. Quadrantis quidem usus ab hac est hallucinatione liber: quod in eadem recta è centro per dioptras visus feratur. At radius huic aberrationi obnoxius existit. Aberratio tamē corrigi poterit inventa ekkentrotete. Ejus inventionem accuratiorem, quam forsan Astrologia requirit, eò reservabimus: contenti ea quæ hic sufficit. illa igitur ex Thomæ Digesei alis mathematicis sic est.

Si visus à termino indicis per terminos transversariorū, quorum majus minoris duplum sit incidat in metam magnitudinis: differentia semissis indicis & segmenti in minus transversarium est dimidia ekkentrotes visus. Hac itaq; inventa potes numerationis in indice initium facere, aut ab ipso termino & visum secundum quantitatem eccentricitatis ab eo amovere: aut à termino in indice eam numerare: tumque ibi initium facere ubi ἐκκεντρότης finit. Verum si dioptris visus constrictus sit modica aberratio in hac quidem geodæsia merito non curatur.

5. *Geodæsia distantiæ est unius aut duplicis: Geodæsia unius distantiæ est ubi mensor in metienda magnitudine locum non mutat.*

Hic

6. *Si visus est in metam magnitudinis metiendæ: magnitudo erit tangens anguli indicis atq; radii optici: tumq; index magnitudini rectus est.*

Magnitudinem intelligo lineam aut magnitudinem lineatam in qua lineæ existunt. Verbi gratia si sit metienda latitudo fluvii alicujus: nos lineam consideramus quæ latitudinem mensurat. Quod si jam visus è termino indicis per terminum transversarii cadat in metam ac finem magnitudinis metiendę: linea quę metitur magnitudinem erit tangens anguli indicis atq; radii optici. atq; tum index est rectus magnitudini metiendæ: & proinde per 2. e. transversarium erit eidem parallelū. Et in hoc casu suaserim: ut tot sint in promptu transversaria particularia ut segmentum indicis semper radius hypotheticus sit, aliquot tamen circulis dextris minutus.

7. Sin

7. Sin visus est in metam magnitudinis ad metiendam rectæ: metienda est tangens anguli transversarii & radii optici: tumq; metiendæ transversarium est rectum.

Et hinc rursus per 2. e. concludes indicem tum esse parallelum metiendæ magnitudini. Hic opera erit danda: ut transversarium habeat mensuram radii.

Cæterum quod ad perpendiculum & parallelismum attinet sæpe uti poteris plumbo suspenso in longitudine parallela horizonti: & norma etiam sæpè sufficiet: ut usus ipse docebit.

Jam vero antequam ad calculum hinc deductum descendam: anguli hujus inventionem docebo.

Est autem inventio in radio difficilior quam in quadrante: nisi quod supra monui in radio feceris: nempe ut aut segmentum indicis aut transversarium sit radius. Quod si est: jam transversarium illic exhibet tangentem anguli indicis atq; radii optici hic segmentum indicis tangentem anguli transversarii atque radii optici: & quidem in mensura assumpta. Ergo si usus postulet angulus dabitur. Et sic cognosces esse faciliorem usum radii quam quadrantis.

Quod si segmentum indicis non sit radius 6. e. 10. angulos inveniet vel eorum tangentes. in quadrante angulus statim ex pe-



ripheria

ripheria innotescit. Sed & id variè. Nam si visus est per regulæ dioptras è centro: peripheria inter indicem & amussim est anguli oppositæ magnitudinis ut hic cum visus fertur per e à puncto a in metam m angulus m a s est is cujus tangens est magnitudo m s hoc est arcus u e.

Sin autem visus est per dioptras lateris, erit è centro quod actu est, aut è termino peripheriæ quadrantis: si est è centro: angulus magnitudinis in cujus metam visus cadit, est peripheria inter latus dioptrarum & filum è centro pendulum. ut in sequenti schemate apparebit.



Nam angulo o a e hoc est arcui o e opponitur magnitudo s m tangens nimirum anguli a. quia est tangens arcus è radio a s subtendentis angulum a.

Si visus per dioptras lateris est è termino peripheriæ in metam

tam magnitudinis oppositæ: angulus oppositæ magnitudinis est peripheria inter latus quadrantis reliquum & filum è centro pendulum.

Esto enim visus ab a per e in terminum oppositæ magnitudinis m s. Erit per s e angulus e a s 15 cujus m s est tangens. Eum determinari dico in quadrante arcu u o.

Nam peripheria u o determinat angulum u e y.



At angulus u e y æquatur angulo e a t. Nam angulus u e a ex fabrica rectus est: est etiam angulus e y t rectus ex thesi. præterea triangula e a t, e y t communem habent ad t. Quare per c.3.e.7.R. angulus u e y æquatur angulo e a t. Ergo angulus e a t mensuratur peripheria u o.

Hinc tandem sequetur ipsa rectarum geodæsia. ubi angulus magnitudinis is erit qui subtenditur à metienda magnitudine.

Itaq;

8. Radius est ad tangentem anguli longitudinis ut nota altitudo ad longitudinem.

Longitudinis inventio hoc elemento docetur: sive jam visus sit in metam magnitudinis metiendæ sive magnitudinis ad metiendam rectæ ac notæ: methodus tamen eadem fuerit. Esto primum visus in metam longitudinis. Sit ergo metienda longitudo s m è loco superiore a. & detur altitudo a s pedum 50. Quæritur s m. Capiatur itaq; angulus s a m longitudinis. Sitq; gr. 45. arcus nempe u e aut ei similis è radio a s. Hujus tangens erit 10,000,000.



Ergo per 6. e. 10. ut radius ad 10,000,000. sic 50 altitudo ad s m longitudinem etiam 50.

Hinc patet cur facilitas calculi sit si semper segmentum indicis recti sit radius assumptus. Nam per 9. e. 7. R. ut a o ad o e sic a s ad

ad s m, hoc eſt ut radius ad tangentem anguli a. ſic a s ad s m. Quod hic ſemel repetiviſſe ſatis ſit.



Nec quicquam intereſt: utrum longitudo ſit in ſubjecto plano, an in aſcenſu deſcenſu've montis. modo index rectus ſit longitudini metiendæ. ut in ſequenti figura patet: ſi b a ſit ſuperficies montis metiendi.

Et hoc modo latitudines fluuiorum, vallium, foſſarum metiri potes: ut in appoſita hic figura apparet.



Et sane dimensio latitudinis fossarum magni est momenti in oppugnationibus arcis, urbis: ut ex cognita latitudine & profunditate scalæ pro irruptione satis longæ & aptæ fabrefieri possint. Sic apud Polybium Philippus ad Meliteorum urbem capiendam scalas non satis longas attulit. itaq; gravi clade affectus discessit. Et Gallis ad Mediolanũ eadẽ res perinde nocuit.

Sit deinceps visus in metam altitudinis nempe in metam magnitudinis ad metiendam rectæ. & quærenda longitudo a s.



Sit data altitudo m s pedum 50. jam opticus radius incidat in m. sitque angulus a gr. 45. erit etiam o e a hoc est per 12. e. 5. R. angulus s m a nempe complementum anguli prioris. Et quia hic continetur à transversario ac optico radio erit a s ejus tangens.

Si itaq; sit ut radius m s ad tangentem a s 10,000,000. erit ut m s 50, ad s a etiam 50. pro longitudine quæsita.

Hinc licebit oblato acumine turris notæ distantiam à nobis ad eam reperire: quæ res in bellis maximi est momenti, ut sciamus distantiam ex quanta machinæ sphærula in hostium urbem sit emittenda: ut ex sequenti figura intelligi potest.

Quod



Quod ſi hic,ut ante indicis ſegmentum,ſic tranſverſarium rectum aſſumas totidem partium quot radius eſt definitus: multum inventionis compendium habebis. Nam per 9.e.7.R.ut e o ad o a.ſic s m ad s a,hoc eſt ut radius ad tangentem anguli longitudinis ſic altitudo ad longitudinem. Quod etiã hic de tranſverſario ad magnitudinem metiendam recto ſemel monuiſſe ſufficiat. Et

9. *Radius eſt ad tangentem anguli altitudinis, ut data longitudo ad altitudinem.*

Longitudinis geodæſia ex eodem quidem loco fuit: ſequi-

tur ſimilis altitudinis dimenſio.ubi index metiendæ rectus eſt.

Sit data a s longitudo pedum 50. & angulus indicis, radiique optici ſit 45.erit tum in triangulo rectangulo a s m, ut radius a s aſſumptæ menſuræ ad tangentem anguli 10,000,000 ſic a s 50 pedum ad s m pedum 50.



Et hoc modo turrium,ædificiorum aliorumque rerum metiri altitudines poteris.

Sed hoc tamen notandum altitudinem eam tantum inveniri quæ eſt à continuato indice ad verticem altitudinis.Quare menſoris altitudo ad inventam altitudinem addenda eſt:

ut ſi ſit data longitudo pedum 250.& ſegmentum indicis 10,000 tanquam radius,tranſverſariam vero partium totidem erit altitudo 254.addita ſcilicet menſoris altitudine pedum 4.





Sit deinceps index parallelus metiendæ altitudini. ut accidit in altitudine everſa puteorum & ſimiliũ rerum rupis, turris.

Eſto enim metienda altitudo a s, & data ſit longitudo verbi gratia diameter putei s m 10. Quæritur a s profunditas putei. ſitq; angulus o a e grad. 21 & 2′ ferè. erit proinde angulus altitudinis a e u, hoc eſt a m s grad. 68, 58′. Ergo in triangulo rectangulo a m s, ut radius ad tangentem anguli m 26,005,663 ſic s m longitudo 10 pedum ad a s profunditatem 26 idem fiet ſi radio uſus fueris. Nam ut u e ad u a, hoc

hoc est ex fabrica quam supra præscripsi radius ad tangentem anguli m u ut m s ad s a. Sed tamen radiū quadrantis aut segmentum indicis supra orā metiendę magnitudinis ex inventa quantitate tollitur ut vera relinquatur profunditas. ut si a o esset pedum 2. & a s pedum 26. profunditas o s esset pedum 24. Schemata dimensionis puteorum vide in Geometria Rami & practica Geometria Orontii. Itaq;

10. Si visus sit in terminos notæ partis metiendæ magnitudinis: erit ut differentia transversariorum ejusdem indicis segmenti ad transversarium minus sic nota pars remotior ad reliquam.

Id primum in radio videbimus: deinde in quadrante. in radio eam ad rem nonnulli unicum saltem transversarium adhibent, & per ejus pinnas duas transmittūt visum: pinnarum altera immobilis sistitur ad terminum transversarii: altera quæ cursor dicitur hinc inde obvolvitur: donec per utramq; pinnam visus incidat. Verum ego consultum arbitror: ut ad idem quidem indicis segmentum duo sint transversaria: & quidem propter calculi brevitatem & facilitatem paucarum admodum partium. ut hæc in usu facile notabis.



Sic

Sit exempli gratia ædificii alicujus u s altitudo fenestræ in edita parte u y pedum 6. Et cupias hinc investigare reliquam altitudinem y s.

Admove radium & mitte visum primò in u erit tum a o segmentum indicis: e o transversarium seu tangens anguli e a o si segmentum indicis intelligatur radius.

Rursus eodem segmento indicis per transversarium 10 mitte visum in y. erit 10 tangens anguli i a o.

Sit autem transversarium e o partium 12, i o partium 10. Erit ergo ut 2 ad 10, sic 6 ad 30 reliquam partem.

Nam quia e i & u y, itẽ i o & y s sunt parallelę erit per 14.e.5.R.

ut e i ad u y sic i a ad a y
ut i a ad a y sic i o ad y s.

Ergo per æquationem rationum & alterne.

ut e i ad i o sic u y ad y s.

Eadem ratio in quadrante est: Nam differentia transversariorum, ut patuit, est differentia tangentium e a o, i a o. Ergo ut hæc differentia ad tangentem minorem sic nota pars ad reliquam. Quod monuisse satis sit.

Et sic geodæsia unius distantiæ fuit longitudinis & altitudinis: cur etiam non latitudinis? an non fieri poterit ut linea transversa unica statione mensuretur? si nempe index rectus sit transversæ ad terminum latitudinis: & regula visum in reliquum terminum deducat: an non jam angulus latitudinis notus est: & proinde ejus tangens? verum est: si sit instrumentum, latitudini rectum, parallelum horizonti: & tum si detur tertius aliquis terminus datur latitudo: quæ tamen tum aliud nihil est quam longitudo vel altitudo. Quod si latitudo non sit in eadem altitudine cum mensore: certe invento angulo latitudinis, & non dato termino tertio nempe distantia à loco observatoris in latitudinem unica distantia non sufficit. Quod si ergo inventa sit distantia illa in latitudinem à loco observationis unica statio sufficiet. inventio autem erit ex calculo triangulorum. Nam

ut radius ad tangentem anguli longitudinis aut altitudi-

nis, ſic altitudo aut longitudo ad diſtantiam à puncto in quod viſus incidit ad viſum.

ut in figura 9 e angulus m a s altitudinis erat grad. 45. ejus ſecans, ſi radius fiat a s, eſt 14,142, ne reliqua jam curemus. & data fuit menſura radii a s pedum 50. ergo per 7 e 10 ut radius 10,000 ad 14,142, ſic a s pedum 50, ad a m pedum $70\frac{2}{3}$ ac paulo ultra ſed tamen non ultra dodrantem partis. Hac inventa diſtantia geodæſia latitudinis etiam fiet ex una diſtantia hoc modo.

Et

11. *Si viſus eſt in metam latitudinis: radius eſt ad tangentem anguli latitudinis, ut diſtantia à viſu ad indicem in latitudinem continuatum ad latitudinem.*

Hæc eſt geodæſia latitudinis unius diſtantiæ. Et tamen dimenſio ex una diſtantia eſſe duplex poteſt. Nam index perpendicularis latitudini metiendæ aut eſt perpendicularis ad ejus terminum aut aliud punctum.

Eſto primum ad terminum ejus. ut ſit metienda linea tranſverſa m s exempli gratia latitudo arcis ſuperioris.



Sitq; a u longitudo pedum 50. & angulus altitudinis m u grad. 45. erit m a pedum $70\frac{2}{3}$.

Et ſic jam angulus latitudinis y a e grad. 30. erit tangens ejus 5,774. jam cum in triangulo a m s rectangulo ad m ex theſi detur angulus a. erit ut radius ad 5,774. Sic a m diſtantia $70\frac{2}{3}$ ad m s latitudinẽ pedum 40 & $\frac{4}{5}$ ferè.

10,000. 5,774. $70\frac{2}{3}$ $40\frac{4}{5}$.

Idem fuerit in radii uſu:

ai ſit

a i ſit 10,000. i e 5,774. Ergo ut 10,000. ad 5,774 ſic $70\frac{2}{3}$ ad $40\frac{4}{5}$. Quod ante monui.

Sit jam index perpendicularis latitudini ad aliud punctum. tam particulares latitudines reſtituent totam. Erit autem perpendicularis ad medium aut extra. Si ad medium jam via pateſacta eſt. Nam latitudo dicto modo inventa ſi duplicet, eſt quęſita.

Experimentum autem facies: ſi imponas tranſverſariũ quod ab indice biſecetur: & tum viſus immoto radio ſit in utramque metam latitudinis. Tum enim angulus indicis radiique optici unius, eſt angulus ſemiſsis latitudinis. Sed quia laborioſa eſt & moleſta inventio iſtius puncti biſectionis imo nec ſemper detur acceſſus ejuſmodi: ut index in medium punctum latitudini ſit perpendicularis: utile eſt à quocunque puncto latitudinis ſegmenta menſurari: primò primũ ſecundò ſecundum. At quomodo idem punctum notabo verbi gratia in pariete dealbato: id facile erit ſigno aliquo cócepto, aut facta collimatione ſecũdum ſigna duo in loco menſoris concepta: manum admove & facile videbis.



Sic in ſequenti ſchemate ex eadem diſtantia cape m s latitudinis dextræ angulum m a e verbi gratia 20. Sitque eadem diſtantia quæ ante fuit nempe m a pedum $70\frac{2}{3}$. & ex canone datur tangens g 20.

 nempe

nempe anguli dextri m a e 3,640.qualium radius vel ſegmentū indicis eſt 10,000.Ergo ut radius ad 3,640 ſic $70\frac{2}{3}$ ad 26 ferè.

1,000. 364. $70\frac{2}{3}$ 26 ferè.

Rurſus ſit angulus m a s ſiniſter gr.10.hac ratiocinatione ex diſtātia m a invenietur s m ſiniſtra latitudo pedū 12 & paulo ultro.

10,000. 1,763. $70\frac{2}{3}$ 12.

Ergo additione particularium altitudinum, s s erit pedum 38. Sic latitudines domorum capi poſſunt: ut in hoc ſchemate patet.



Atque ſic demenſio & geodæſia unius diſtantiæ eſto.

12. *Geodæſia duplicis diſtantiæ eſt ubi menſor locum collimationis mutat.*

Hæc geodæſia ſæpe neceſsitatis eſt:ubi propter montiū, murorum, domorum, aut alia impedimenta unica ſtatio nec longitudinem nec altitudinem ſcrutatur, nec deniq; latitudinem menſurat. Quare hic quaſi duplex eſt ſimplicis illius diſtantiæ calculus.& recidunt huc ea quæ de angulis magnitudinis metiendæ eorumque tangentibus ſupra dicta ſunt. Et notabis hic differentiam tranſverſariorum aut ſegmentorum indicis eſſe differentiam tangentium angulorum magnitudinis ad metiendam rectæ.

Hic

Hic

13. Si visus sit in metam altitudinis: erit ut differentia transversariorum ejusdem indicis segmenti ad minus, sic differentia stationum ad longitudinem.

Hic rursus operam dabis, quod etiam deinceps facies, ut transversaria habes paucarũ partium. Esto ergo metienda longitudo s r.

Collimatio itaque prima sit remotior ex a. secunda ex r in eandem altitudinis licet ignotæ metam m. Sitq; distantia stationum r a pedũ 20. erit m s tangens anguli a. si a s sit radius: tangens vero anguli r si r s sit radius. Erit proinde e t, hoc est o y tangens anguli a. & e o tangens anguli r.



Dico jam esse ut e y ad y o, hoc est differentiá tangẽtium ad tangẽtem minorem sic a r distãtiam ad a s longitudinem quæsitam. Nam ducta parallela n r ad m a. ducta inquam per y. ut y o æquetur rectæ e t.

ut m n ad e y sic n r ad y t per 14. e. 5. R.

ut n r ad y r sic n s ad y o

Ergo per æquationem rationũ & inversis alternisq; terminis

ut e y ad y o sic m n ad n s.

At ut m n ad n s sic a r ad r s per 13. e. 5. R.

Quod si jam y o fuisset 10, & e o 12. erit longitudo pedum 100. Nam ut 2 ad 10, sic 20 ad 100.

Eadem res erit si tangentes singulorum angulorum altitudinis oblatæ in consilium voces.

Quare hæc est geodæsia duplicis distantiæ in capienda longitudine: ubi ob interjectum impedimentum meta longitudinis videri non posit: nec altitudo in cujus terminum visus exit, nota sit. Et

14. *Si visus sit in metam altitudinis per idem transversarium erit ut differentia segmentorum indicis ad differentiam stationum, sic transversarium ad altitudinem.*

Sit itaq; collimatio prima ex a in m. erit angulus e a s altitudinis quæsitæ ejusq; tangens m s si radius sit a s.

Secunda collimatio sit ex r. erit ergo angulus e r o etiam quęsitæ altitudinis & tangens ejus m s. si radius sit r s.



Duca-

Ducatur perpendicularis rectæ m r. ipsa n y quæ secet t y æqualem ipsi o r ut y a sit differentia segmentorum indicis: hoc est differentia tangentium complementorum quæsitæ altitudinis angulorum.

jam reliqua sic erunt.

ut a t ad a s sic t e hoc est o e ad m s.

ut o e ad m s sic o r hoc est t y ad r s. Quare ut totus a t ad a s sic ablatus t y ad r s ablatum: erit ergo ut totus ad totum sic reliquus y a ad reliquum a r, hoc est ut o e ad m s.

Quod si transuersarium sit 9, & distantia stationum pedum 30. indicis segmentum minus 9. majus 12. erit altitudo quæsita pedum 90. Nam

3. 9. 30. 90.

in quadrante res eadem est: est enim ut differentia tangentium complementorum angulorum altitudinis ad minorem sic distantia ad altitudinem.

Esto enim angulus primæ collimationis e a t gr. 36, 52'. erit angulus t e a gr. 53, 8'. Ejusq; tangens o r vel t y 1,333 resectis scilicet dextris notis quatuor. Et angulus secundæ collimationis e r o sit g. 45 erit & angulus lōgitudinis totidē ejusq; tangens 1,000. Quare t y de t a relinquet y a nempe 1, 000 de 1,333 relinquit 333 jam distancia stationum a r sit pedum 30. altitudo erit 90.

333 ad 1,000. sic 30 ad 90.

Ramus ex superioribus multa hinc deducit postulata ad 12.e. 9. primo de differentia duarum altitudinum: ex dimensarum nempe subductione.

Secundo: ex inæqualium altitudinum exempli gratia turrium altera licet alterius altitudinem metiri. quod etiam hinc expeditum est: primo enim si ex minori velis metiri majorem cape per 8 e longitudinem inter minorem & majorem. tum enim 9 e dabit altitudinem supra minorem quæ cum nota minore addita restituit majorem.

Secundo si è majore velis metiri minorem: rursus è nota majori altitudine capies longitudinem inter altitudines: tum 9 e

dabit

dabit altitudinem qua major ſuperat minorem inde reliqua pars de majore eſt altitudo minor. Schema illic Rami additum huc referri poterit.

Tertium ipſi poſtulatum eſt de inventione diſtantiæ turrium è vertice alterius: quod in præmiſsis innotuit poſtulatis per 8.e. Figura Rami huc etiam accommodari debet.

Et

15. Si viſus ſit in terminos latitudinis per idem tranſverſarium: erit ut indice differentia ad differentiam ſtationum, ſic tranſverſarium ad latitudinem.

Hic rurſus, ut in ſuperiori latitudinis dimenſione, index perpendicularis latitudini, eſt ad terminũ ejus perpendicularis aut ad aliud punctum: & tum ſumma particularium latitudinum to-



tam

tam colligit. Sed tamen expeditior ratio eſt, ſi tranſverſarium imponatur ita ut in metiendæ latitudinis terminos immoto radio viſus deferatur. ut ſit metienda latitudo s m.

jam ſit prima collimatio ex a per e in m indice perpendiculari ad punctum m: & ex a manente indice per i viſus diducatur in s. Quod ſi non ſit in promptu unum tranſverſarium tale: imponantur ſane duo, ſed ita ut idem in eodem ſtationis loco ſecent indicis ſegmentum.

Secunda collimatio ſit ex y manente tranſverſario e i ſimplici aut duplicato: ſed longius tamen ab oculo remoto: & ſit viſus per e & i in m & s.

Dico eſſe ut indicum differentiam nempe differentiam a o & y o ad y a ſic tranſverſarium e i ad s m latitudinem.

Demonſtratio cum priori eadem eſt. Nam ducta parallela ad a m quæ ſecet ex o y ſegmentum æquale ipſi o a: erit ut differen-



tia segmentorum indicis ad y a sic e o ad m n.& i o ad n s:ut ante patuit:Ergo per terminorum proportionalium additionem,erit ut differentia segmentorum indicis ad y a sic i e ad s m.

Sic si sit metienda latitudo domus s m,& sit a o 12.y o vero 20. transversarium i e 6.ita ut ab utraq; indicis parte 3 sint.

Sitque distantia collimationis a y pedum 30. Quæritur s m. Differentia segmentorum indicis est partium 8. Ergo s m erit pedum $22\frac{1}{2}$. Nam

8. 6. 30. $22\frac{1}{2}$.

Quod in particularium quoq; latitudinum dimensione sic patet:ut se habet 8 ad 3,sic 30 ad $11\frac{1}{4}$ pro n m itemq; pro s n. Nam transversarii segmenta utrinq; æquantur.

Et hinc intelligitur quomodo quadrante capienda sit. Nam ex antecedenti datur primo n m, deinde n s tanquam altitudines:hinc summa m s. Et idem fuerit si visus sit in superiori loco. Situs enim geodæsiam non mutabit.

Quare geodæsia nobis sic exposita sit. ubi, si quis requirat,radius quidem accommodatissimũ est instrumentum : quadrans tamen sæpè magis tractabilis. Quod si radio uti vis: vide ut quemadmodum monui distribuas. in geodæsia duplicis distantiæ facilior per radium contra aberrationes visus munitum est geodæsia.in geodæsia unius distantiæ nisi radius dicto modo & correctus & distributus sit quadrans præstabit. Hinc itaq; pictor Architectus cæteriq; artifices locorum omnium dimensionem instituent:fenestras,statuas pyramides metientur: & quicquid omnino in loco insigni notabile est scrutabuntur.

TH. FIN.

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER DVODECIMVS.

De ſphæra eiusq́ꝫ circulis.

ROtundi nobis Geometria eſt propoſita: ejus duo fecimus genera circulum & ſphæram. Circularem itaque Geometriam ſphærica ſequetur quam breviſsime delineata.

1. *Sphæra eſt rotundum ſolidum.*

Poſſet definiri corpus comprehenſum à ſphærico ſeu ſuperficie ſphærica:verum rotundum dici rotundius eſt. Vulgo corpus ſphęricum,Latine globus dicitur: ſed tamen ſphæræ vocabulum græcum retentum in uſu eſt.



Proclus in hypotypoſi aſtronomicarum hypotheſeon duplicem ſphæram facit. Alia enim ipſi στερεά eſt alia κρικωτής,hoc eſt armillaris, diſtinctis circulis conſpicua: cujuſmodi eſt ea quam Elementarii Aſtrologi in Sphæricis ſuis libellis explicant. Sed hæc diviſio ſeu diſtinctio non uſq; adeo eſt neceſſaria. Nam armillaris eſt tantum effigies certarum ſphæræ partium.

Itaq;

2. *Sphæra fit converſione ſemicirculi, manente diametro.* 14.d.11.

Sic peripheria generatur motu puncti lineæ unius reliquo quieſcente: circulus motu lineæ quieſcente ejus termino uno. Sic conus Euclidi 18.d.11.fit converſione trianguli rectanguli manente altero crure. Sic 21.d.11.è rectangulo cylinder fit,& ſic de-

inceps: & hoc modo ſphæra fit converſione ſemicirculi manẽte ejus baſi nempe diametro. nimirum ſi concipiamus ſpacium illud quod in converſione ſemicirculus attingit ſolidari & quaſi corporari. id quod in officinis tornariorum videre licet. ibi enim corpus circa polos & axem motum, ſpacium rotundat.



3. Planus è diametro & ſextante ſphærici eſt ſphæra.

Sphæricum metieris per 5.e.20.R. Hic ut circulo & ſphærico, ſic culo & ſphæræ ſua eſt analogia. Cubicum ſeu cubica ſuperficies comprehenditur ſex baſibus quadratis & proinde æqualibus. Sphæra item continetur ſex baſibus ſphæricis æqualibus cubicas baſes ambientibus. jam cubus eſt planus è ſexta cubici parte per latus. Sic etiam ſphęra eſt planus è ſexta ſphęrici parte per latus nempe diametrum.



Exemplum. Eſto diameter ſeu axis ſphæræ 14. hoc eſt diameter maximi circuli. jam per 1 e 8. peripheria maximi hujus circuli eſt 44. Ergo planus è 44 per 14 nempe 616 eſt ſphæricum per 5.e.20.R. Nunc planus è $\frac{616}{6}$ per 14, hoc eſt $1,437\frac{1}{3}$, eſt ipſa ſphæræ ſoliditas.

Itaq;

4. ut 21 ad 11, ſic cubus diametri ad ſphæram.

ut in præſenti exemplo cubus axis eſt 2,744. Nam 14 per 14 facit 196 & hæc per 14 faciunt 2,744 cubum ſcilicet diametri.

jam

jam ratio 2,744 ad sphæram 1,437$\frac{1}{3}$ est in minimis terminis ut 21 ad 11. Maxima enim communis mensura 8,232 & 4,312 integrorum datis proportionalium est 392. per quam divisi redeunt ad 21 & 11. Et

5. *Planus è sextante sphærici & radio est hemisphærium.*

ut planus è 61$\frac{6}{6}$ & 7 est 718$\frac{2}{3}$. Sed accuratius est sumere dimidiam sphæram.

6. *Sphæræ sunt ut à diametris cubi.* 18.p.12.

Solida similia habent triplicatam rationem homologorum laterum 5.e.20. R. & axes sphærarum sunt earum latera homologa: rursus cubare (ut ita diaam) diametros est triplicare rationem homologorum laterum. Ergo ut cubi diametrorum sic sphæræ. Euclidea demonstratio paulo est laboriosior. Exempla fructus hujus propositionis apud Astrologos multa reperiuntur.

Stellas primi luminis atq; honoris ita ad terræ globum se habere ajunt: ut sit ratio diametri earum ad diametrum sphæræ terræ quadrupla major tribus quartis qualis est 19 ad 4. Hinc inquiritur differentia magnitudinis stellarum earum & terræ: & inveniuntur eæ ad terram ut 6,859 ad 64. nempe si cubicè termini multiplicentur.

$$\begin{array}{rr} 19 & 4 \\ 19 & 4 \\ \hline 361 & 16 \\ 19 & 4 \\ \hline 6{,}859 & 64 \end{array}$$

Hoc est terram superari à stellis illis magnitudine & crassitie centies septies & $\frac{11}{64}$.

Sic Ptolemæus deprehendit Solis diametrum ad globi terreni axim esse ut 11 ad 2. Ergo ex cubica multiplicatione Sol est ad terram ut 1,331 ad 8.

$$\begin{array}{rr} 11 & 2 \\ 11 & 2 \\ \hline 121 & 4 \\ 11 & 2 \\ 1{,}331 & 8 \end{array}$$

S 3 Ergo

Ergo Sol terram ſuperat centies ſexagies ſexies & $\frac{3}{8}$, Copernicus noſter paulo majorem invenit diametrum. Deprehendit enim ἐκκεντρότητα ſolarem à tempore Ptolemæi decreviſſe. itaque ex opticis diametrum auctam eſſe. ut hæc in Aſtronomicis docentur.

Atq; hæc ferè ſunt quę apud Euclidem atq; Ramum habemus de ſphæra ſigillatim. Nos ex Regiomontano quędam addemus: poſt calculum novum exponemus. Hoc tamen admonitum Lectorem Philomathen volo: ut ſibi ſphæram comparet diſtinctam circulis: qualis eſſe poteſt quo vulgo ab Aſtronomis decem circulis componitur. in ea enim ſequentia melius videri poſſunt quam in charta ac ſuperficie depingi.

7. *Si axis ſphæræ eſt per centrum circuli: eſt perpendicularis dicto circulo: & contra.* 2.1.p.3. *Regiom.*

Regiomontanus ſegmentum tantum axis adhibet: quod eodem redit. Nam ſegmentum axis in axem continuari poteſt.

Eſto itaq; centrum ſphæræ a. circulus ſphæræ i o u y. eiusque centrum e. jam recta ſit ab a in e, hoc eſt axis aut ſegmentum ejus.



Dico a e eſſe perpendicularem circulo i o u y. Ducantur enim circuli diametri i u & o y earumq; termini cõnectantur cum centro ſphæræ rectis a o, a u, a y, a i, quæ ſunt ſphæræ radii & proinde per 2. e. 1. æquales. Sed & radii e u, e o, e i, e y ſunt æquales: & a e latus commune eſt. Cum itaq; triangula hæc ſint æquilatera, erunt æquiangula per 1.p.7.R. & anguli ad e æquales.

Quare cum a e diametris circuli rectè interjaceat per 10.e.2.R. erit iis perpendicularis in communi diametrorum ſectione nempe ad centrum.

At ſi recta eſt rectis in ſubjecto plano interſectis perpendicularis

laris in communi ſectione: eſt perpendicularis ſubjecto plano per 3.e.21.R.

Quare a e axis eſt perpendicularis circulo i o u y.

Converſa patet: Nam ſi axis perpendicularis circulo non eſt per centrum: erit extra.

At ſi extra centrum ſit: jam recta duplex ex eodem termino nempe centro ſphæræ erit perpendicularis eidem plano.

At perpendicularis ab eodem termino & eadem parte non eſt duplex per c.10.e.2.R.

Ergo perpendicularis axis in circulũ nõ eſt extra ejus centrũ

Itaq;

8. *Perpendicularis è centro circuli utrinq; in ſphæricum continuata eſt axis ſphæræ.* *3.p.3.Regiom.*

Demonſtratio eſt Regiomontano per abſurdum. ut è centro circuli e egrediatur perpendicularis e a: in ſphæræ centrum cadet: hoc eſt continuata erit axis ſphæræ. Si enim non eſt axis. jam è centro egreditur duplex perpendicularis: hæc recta continuata ex theſi: deinde axis alius ex theſi adverſarii. At id fieri nequit: ut jam antè patuit.

9. *Axis ſphæræ eſt etiam axis circuli, cui ille eſt perpendicularis.*

Id vulgo ſic ſumitur: unde & poli ſphæræ ſunt poli circuli eodem modo. Hinc ex præmiſsis elementis ſunt 4,5,6,7,8,9.p.3.Regiomontani. quas huc referes.

Itaq;

10. *Si ſphærici punctum eſt terminus rectarum trium in peripheriam circuli æqualium: eſt circuli dicti polus.* *13.p.3. Regiom.*

Hoc reſpondet circulo ad 27.e.1.

A puncto enim ſphærici a. in peripheriam o u i ſint æquales rectæ tres. ajo circuli dicti polum eſſe in a. Etenim ab a in circulum dimittatur perpendicularis a y. Erunt ergo anguli ad y recti,

recti. Et cum a y sit commune latus & a o, a i, a u ex thesi æquentur: per 5. e. 12. R. o y, y i, y u æquantur: & per 27 e i. y est centrũ circuli. Quare ex superioribus y a axis sphæræ est axis circuli, cui est perpendicularis ex thesi. ideo ejus terminus a est polus ut sphæræ sic circuli o u i.



Et

11. Circuli quorum axis communis est sunt paralleli. *22.p.3.Regiom.*

Nam cum ex thesi axis communis sit: erit per centrum circulorũ ipsis perpendicularis per 9 & 7 e.

jam vero si plana communi perpendiculo dividuntur per 12.e.21.R. sunt parallela. ut hic circuli a, i, e. habent axem communẽ o u. Ergo sunt paralleli.



Exemplum sumere potes in sphæra astrologica ex Æquatore & tropicis: his enim communis axis est. unde & paralleli sunt.

jam contra si sint paralleli per 12. e. 21. R. communi perpendiculo dividuntur. Id continuatum utrinq; incidit in polos circulorum communes.

12. *Maximus*

12. *Maximus sphæræ circulus est qui sphæram bisecat.*

Id Euclides seu Euclidis demonstrator ad demonstrationem 17.p.12.sic postulat: nempe circulum maximum esse eum qui per sphæræ centrum sphæram secet: hoc est qui sphæram bisecet.

Itaq;

13. *Circuli maximi se bisecant.* *19.p.3.Regiom.*

Nam axis sphæræ est ipsorum communis sectio & utriusque communis diameter. Secant enim sphæram per centrum. jam diameter eadem secat ex æqualibus ęqualia segmenta, nẽpe semicirculos per 2.e.4.



Et

14. *Circuli æquidistantes à maximo, sunt æquales.* *28.p.3.Regiom.*

Et

15. *Propior maximo, est major remotiore.*

Causa eadem est ex 7 & 25.e.1. Nam circuli sunt ut à diametris quadrata: Et diametrorum æqualium, inæqualium quadrata sunt æqualia, inæqualia per 1.c.2.e.12.R. Et rursus circulorum ęquidistantium à maximo diametri sunt ęquales: propioris diameter major est quã remotioris. Quod hinc patet.



Ducatur circulus magnus secans æquidistantes à maximo item remotiores & propiores per polos.

Sitq; communis sectio maxi

mi cum descripto maximo recta e o. diameter nempe utriusque sectio vero communis descripti cum æquidistantibus à maximo duæ rectæ y s & y s. cum propiore itidem y s cum remotiore r t. Dico y s, y s æquari. Nam per thesin æquidistant à centro. Ergo per 24 e i. sunt æquales.

Rursus y s major est quam r t per 25 e i. itaque circuli quorum diametri sunt y s nempe æquidistantes à maximo sunt æquales: & circulus diametri y s propioris est major circulo diametri r t remotioris.

16. Si maximus sphæræ circulum maximum per polos secet: rectè secat: & contra. 20. p. 3. Regiom.

Maximus enim e o i secet maximum a e i per polos. dico secare rectè.

Nam si recta in altero intersectorum planorū perpendicularis reliquo, ut hic à polo in centrum recta o u perpendicularis circulo a e i, est perpendicularis communi sectioni e i per eandem causam: plana ipsa, nempe circuli, sunt perpendicularia per 9. e. 21. R. Conversam similiter veram ex superioribus probabis.



Itaq;

17. Quadrans maximi circuli à polo maximi in ipsum, ei est perpendicularis. 1. p. 4. Regiom.

Secat enim maximum circulum per polos. ut in præmissa figura quadrans o e à polo o in circulum a e y ei est perpendicularis.

Et

18. Si quadrantes maximorum circulorum perpendicu lares maximo circulo concurrant: punctum concurſus in ſphærico eſt polus dicti circuli. 2.p.4.Reg.

Eſto in præmiſſa figura quadrantes e o, i o perpendiculares ad circulum a e i concurrant ad punctum ſphærici o. dico ibi eſſe polum circuli a e i.

Nam maximus circulus maximum rectè ſecans, ſecat per polos. 18. e.

At ex theſi ſigillatim quadrans maximi circuli ſecat rectè maximum. Ergo ſigillatim ſecat per polum. hoc eſt concurrunt in polo maximi circuli.

19. Si maximus ſphæræ circulus biſecet minorem circulum: rectè ſecat: & contra. 21.p.3. Regiom.



ut hic ſi maximus circulus a e i biſecet circulum a o e: recte eum ſecat: Nam cum biſecet per centrum ſecat. copuletur itaq; centrum u cum centro ſphæræ y. erit axis y u perpendicularis circulo a o e per 7 e. Ergo per 10.e.21.R. circulus per axem ſecans ſecto circulo eſt perpendicularis.

Converſa, Si rectè ſecat biſecat, patet. Secat enim per centrum. Eſto enim communis ſectio e a, jam ſit perpendicularis y u à centro ſphæræ in cõmunem ſectionem: hoc eſt recta à centro ſphæræ biſecet communem ſectionem. erit ergo u ipſum circuli centrum & e a ejus diameter, quæ cum

meter maximi circuli per 8 e. quæ cõtinet polos ſectorum. Quare tertius ſecans tranſieris per ſuæ diametri terminos tranſit etiam per polos interſectorum. Sed hæc, ut dixi, in ſolida figura & globo ipſo plenius videntur & cognoſcuntur, quam in charta depinguntur.

22. *Si maximus ſphæræ circulus parallelos & æquales extra polos ſecet: alterna peripheriarum ſegmenta æquantur. 19. p. 3. Reg.*

Hoc elemento Aſtrologi docent diem æſtivum longiſsimum & noctem hyemalem longiſsimam æquari. Et cæteras ſtellarum obvolutiones in parallelis & æqualibus cœli partibus ſimiliter perfici.

Demonſtratio ex inſpectione globi non eſt obſcura.

Sint enim diametri parallelorum o i, y u: erunt æquales, circulorum ſcilicet æqualium: & ſit diameter ſecantis extra polos m n. dico o p & u q æquari. Nam æqualium ſemiſſes æquantur o s, u r. His addantur æquales s p. r q. Nam per 14. e. 5. R. ut s t æquatur ipſi t r ex theſi ſic s p, r q. ſibi æquabuntur. Summæ ergo erunt æquales.



Hinc ſecundo ſequitur quod erat propoſitum. Sinuum ſecundorum æqualium æquales ſinus primi ſunt. Ergo o p, u q ſinus ſecundi ſemiſsium ſegmentorum habebunt æquales primos ductos à p & q. in commune punctum ſectionis ſecantis & parallelorum. & proinde per 15 e s. ſemiſſis peripheriarum alternarum ſemiperipheria aut majores aut minores æquabuntur. Semiſsium autem æqualium aſſes exiſtunt æquales. Itaq;

23. *Peripheria circuli maximi ſecantis inter parallelos biſecatur parallelorum maximo.*

Nam

Nam ſi ducatur circulus magnus ſecans parallelos & maximum ſecantem parallelos, ſecans (inquam) per polos: ex 12 e conſtabit ſegmenta & parallelorum & ſecantis maximi à ſecante in reliquum aut parallelum aut datum ſecantem æquari. Hæc ergo ſegmenta æqualia de quadrantibus æqualibus, qui ſecantur per parallelorum maximum, relinquunt ſegmenta peripheriæ æqualia inter maximum parallelorum & utrinque parallelos æquales. Quare tota peripheria inter parallelos eſt biſecta.

24. Si duo maximi ſphæræ circuli in parallelorum polis concurrant: ſecant parallelorum peripherias ſimiles. 23, p. 3. Regiom.



Sint circuli paralleli a e, o i. eos duo maximi circuli ſecent p polos a u, e u. Dico peripherias a e, o i eſſe ſimiles. Ducatur em̃ cõmunis ſectio ſecantium à polo u. Ea continebit parallelorũ centra per 9 & 7 e. & ſint ea y & s. Ab his centris ſint ſui radii y a, y e & ſo, ſi. jam quia ex eadem ſectione egrediuntur in planis parallelis binæ conterminæ o s s i. & a y, y e: erunt o s & a y itẽ s i, & y e parallelæ per 13. e. 21. R. Et proinde per 4. c. 12. e. 5. R. anguli a y e, o s i æquantur: & ideo ſunt proportionales ad quatuor rectos: ſed ut y vel s ad 4 rectos, ſic a e vel o i ad ſuam peripheriam. Quare a e ad o i ſunt ſimiles.

Hinc vulgò Geographi magna ſumunt ſubſidia in quærendis locorum diſtantiis adhibito 8. e 1.

Sic breviter excerpſimus ea & collegimus: quæ uſui fore videbantur. pleraq; enim alia ex his conſequuntur cognita doctri-

na

na ſinuum: Et ſi quæ præterea ab Aſtronomis à Geographis & omnino à Coſmographis deſiderari videbuntur: ea explebit liber ſequens: qui triangulorum ſphæricorum continebit doctrinam. unde ea breviſsimè Aſtronomis probari poterunt: quæ per longas & propoſitiones & propoſitionum demonſtrationes libri 3 Theodoſii Vogelinus in Aſtronomia demonſtrari putat. Sed Vogelini ſtudium laude eſt digniſsimum: qui de uſu propoſitionum quas doceret cogitavit: utinam multos haberet ſucceſſores qui non modo propoſitionum verba, ſed & uſum aliquem ſubindicarent: nec tam veterum propoſitiones vellent retinere: quam in pulvere uſui accommodatas exercere.

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER DECIMVSTERTIVS.

De triangulis ſphæricis.

SI trium maximorum ſphæræ circulorum peripheriæ ſigillatim ſemiperipheriâ minores concurrant: triangulum conſtituunt ſphæricum.

Sic vulgo definitur triangulum ſphæricũ concurſu maximorum circulorũ pyramidẽ triangularis baſis, quam faciunt inſcriptæ arcuum, facientium, ut deinceps magis apparebit. poſſet etiam definiri concurſu æqualium circulorum: at tum ſi minores ſint rectangulum triangulum non facient: ſin majores & minores: jam calculum nõ admittunt. Arcus autem ſectos per



pyramidis dictæ basis latera, latera triangulorum deinceps, jam usitato modo, dicemus.

2. Trianguli duo qualibet latera sunt majora reliquo. 37.p.3.Regiom.

Hęc affectio cómunis est & triangulo plano, ut & insequentes nonnullæ: catholica ergo doctrina requireretur. Causa autem est ex triangulo plano: nempe ex basi pyramidis ad centrum sphæræ factæ. ut esto triangulum a e i sphæricum. sint etiam singulorum arcuum inscriptæ nempe latera basis pyramidis: Hic a i, & i e inscriptæ sunt majores quam a e inscripta per 7.e.6.R. Ergo secant a i & i e majores peripherias quam a e per 14. e. 2. Eodem modo a e & e i sunt majores quam a i &c.



Itaq;

3. Trianguli tria latera sunt minora duabus semiperipheriis. 39.p.3.Regiom.

Esto enim triangulum a e i. dico tria ejus latera esse minora duabus semiperipheriis. concurrant enim latera a e, a i in o. Erunt a e o, a i o semiperipheriæ duæ. per 1.e & 13 e 12. jam per præmissum o e & o i sunt majora latera quam e i. Quare adjectis communibus a e, a i: erunt a e, e i, i a minora quam a e o, & a i o.



4. Anguli trianguli sphærici amplitudo est penes arcum maximi circuli qui ex angulo tanquam polo descriptus angulum subtendit,

Hoc sic sumimus. Et tamen angulus est ad centrum sphæræ si ex quadrantibus admittantur radii ex terminis arcus subtendentis angulum. Vel si ex cruribus anguli æqualibus in communem sectionem sinus cadant. prout hæc in ipso globo apparent. Et

V sic

ſic 1 & 13 propoſitione Copernicus angulum trianguli metitur item Regiomontanus 34.p.4.de triangulis. Et hinc etiam Regiomontanus 4.p.5.angulum per inſcriptas metitur, ut illic videre licet.

Hinc patet & illud quod Regiom.30.p.3. habet: anguli ad 4. rectos rationem eam eſſe quę ſit peripheriæ metientis angulum ad totum. Itaq;

5. Si anguli crura continuata concurrant: angulum comprehendent prædicto æqualem.

In ſphæra hoc ſtatim apparet. Nam rectitudo, inclinatio, declinatio circulorum majorum manet ęqualis ab uno termino communis ſectionis in alterum.



Et etiam hinc patet: quia idē arcus magni circuli eos ſubtendit: ut hic e i metitur & angulum o & angulum a.

6. Trianguli tres anguli duobus rectis ſunt majores. 49.p.3.Regiom.



Eſto triangulum a e i. dico ejus angulos eſſe majores duobus rectis. Continuentur enim crura a e, a i in o. Erit angulus o i e angulo i e a, aut æqualis aut inæqualis. Tertium enim dari nequit. Si æqualis addatur ipſis communis

nis e i a fient æquales. At o i e, e i a sunt duobus rectis æquales. Nam recta in communem sectionẽ incidit ergo per 1. c. 8. e. 5. R. facit angulos duobus rectis æquales. itaque & anguli a e i. e i a. sunt æquales duobus rectis : addito ergo angulo e a i sunt majores.

Si jam angulus a i e sit inæqualis esto exempli gratia minor. Ergo cum inæqualibus o i e, i e a additur idem e i a. & anguli ad i æquentur duobus rectis: duo a e i, e i a erunt majores duobus rectis: & proinde tres multo magis majores. Eodem res redibit si a i e sit major: tum enim a e i erit minor: & angulus o æquatur angulo a per s e. unde concludes propositum.

Et sic diversum aliquid hic habemus à triangulis planis. Illic enim tres æquantur duobus rectis 9. e. 6. R. hic majores sunt. Ergo non omne triangulum æquat suos angulos duobus rectis.

7. *Si triangulum est æquicrurum est in basi æquiangulum: & contra.* 41. 40. p. 3. Regiom.

His diu immorari non est necesse: Hæc ut communia sunt um planis: sic communem ha cent demonstrationem.

Vt hic duo anguli e & i sunt æquicruri & æquibases. Nam illic a e, e i hic a i i e crura æqualia, basis illic a i, hic a e ex esi æquales. Ergo per 1. c. 6. e. 3. R. anguli e & i sunt æquales.

Conversa similiter per absurdum patet ut 10. e. 6. R.



8. *Trianguli majus latus subtendit majorem angulum: & major angulus à majori latere subtenditur.* 43. 42. p. 3. Regiom.

His diu immorari non est consultum. debebant alibi & generalius doceri. Demonstratio ex doctrina angulorum contexitur ut 11. e. 6. R.

9. Si duo triangula æquentur angulis aut duobus æquicruris, aut binis duorum æqualis cruris aut baſis, ita ut reliquorum duorū æqualium baſes ſemiperipheriæ inæquales ſint: ſunt æquilatera. 36.52.53.p.3.Regiom.

Et hoc maxima ex parte commune eſt planis. primæ partis & ſecundæ demonſtratio eadem eſt cum planis: nempe triangula æquicruro angulo æqua æquari baſi & triangula æqua binis angulus æqualis cruris adjacentis reliquis lateribus æquari. Quare inde huc transferantur.



Tertia pars ab illis aliquid diverſi habet. Sint ẽm duo triangula a e i, o y u. Sintq; anguli a & i æquales angulis o & u: æqualis baſis duorum nempe e i & y u. reliqua quoque latera a e, y o non ſint æqualia ſemiperipheriæ. Dico a e, o y & a i, o u æquari.



Sequitur ex ſecunda parte: hoc demonſtrato quod angulus a e i ſit æqualis angulo o y u. id ẽm ſi demonſtretur jam angulorum e & y, i & u æqualium æqualis cruris e i & y u reliqua latera a e, o y & a i, o u erũt æqualia. Demonſtretur itaque. Continuetur ergo a e & a i in s. fient ſemiperipheriæ. jam ex a s ſcindatur s l æqualis ipſi o u: & ex a e s auferatur s m æqualis y o. Diſtant igitur a & m. Nam ex theſi o y hoc eſt s m & æ non æquantur ſemiperipheriæ. Et y u & m l æquantur ex pri-

ma

ma parte. Deinceps e i & m l concurrant in n. Cum itaq; anguli i e & s l m æquentur. Nam eidem ad u æquantur illic ex thesi. hic vero quemadmodum mox patebit: erunt anguli trianguli i n l ad i, l æquales, & n i, n l æqualia latera per 7 e. Et cum e i & m l æquentur. nam æquantur eidem nempe y u illic ex thesi: hic ex prima parte. Ergo additis æqualibus n e, n l æquabuntur & anguli n e m, n m e per 7 e. proindeq; reliqui de æqualibus nempe duobus rectis a e i, l m s, hoc est ut patebit jam o y u. His jam æqualibus per secundam partem a e, o y & a i, o u æquabuntur.

10. *Triangula æquilatera sunt æquiangula: & contra.*

36.54.p.3. Regiom.

Propositio cum planis ut communis est sic communem cum iis demonstrationem habet ex 1.c.6.e.3.R. ut hic si a e & a e item a i & a i æquentur & sit basis e i basi e i æqualis: anguli ad a æquabuntur, sic anguli ad e & i. eadem ratiocinatione.



Conversa sphæricis peculiaris est. Nec enim plana triangula æquiangula semper sunt æquilatera. Ejus ergo demonstratio apud Regiomontanum hæc est.

Sint triangula sphærica a e i, o u y æquian



gula: nempe o & a, i & u, e & y æquales. Continuentur ergo i a & e a in t & s, ut a t & o u, a s & o y æquentur per 15 e 2. Erunt proinde t s & y u æquales. Nam angulus e a i hoc est y o u æquatur angulo verticali t a s. Et crura a t, o u & a s, o y æquantur. Ergo per 9 e bases æquantur t s & y u. Et proinde per primam hujus partem triangula sunt æquiangula t a s & y o u. Nempe anguli s & y, t & u. Sed angulo u æquatur angulus a i e, & angulo y æquatur angulus i e a. Ergo angulus a s t angulo i e a. & angulus a t s angulo e i a est æqualis.

His jam datis continuentur e i, t s ut concurrant in m & l. dico e l & l s æquari semiperipheriæ itemq; i l & l t. quod facilè patet. Nam si concipias angulum l e s æqualem a s t. & continues e s, e l donec concurrant in d. fient anguli l d s & l s d æquales. cum æquentur æqualibus d quidem angulo ad e per s e. s vero suo verticali: erit & latus l s lateri l d æquale per 7 e. itaq; cum e l, l d sit semiperipheria. erit & e l, l s similiter semiperipheria. Et id est quod Regiom. 48. p. 3. demonstrat. Eadem ratione i l, l t semiperipheriæ æquabuntur. Quare ab æqualibus semiperipheriis ablata communia i l, l s, relinquuntur æqualia t s, hoc est y u & e i. Et proinde per 9 e. triangula hæc æquiangula cum æquentur crure duorum æqualium y & e, i & u æqualibus e i, y u erunt æquilatera.

11. Si duo triangula æquantur angulorum æqualium duorum, duorum verò similiter obliquorum basibus: sunt æquiangula. 55. p. 3. Regiom.

Similiter obliquorum. intellige ut uterq; aut acutus aut obtusus sit. Nescio sanè quid p. Nonius hic in Menelao desideret. ait Menelaum aberrare quod dicat duos, quos similiter obliquos dedimus, non rectos. posse enim fieri ut alter obtusus reliquus acutus sit. & tum triangula æquilatera non esse. Non arbitror ipsum Menelao aliquid affingere: sed credo exemplorum discrepantiam hæc parere. ipse citat 13. p. 1. Maurolycus inde habet 22. p. 1. Regiomontanus 55. p. 3. Hic conditionem non omittit.

Nec

Nec Maurolycum, si rectè memini omisisse puto. Nescio quale ipse exemplar habuerit. Quod si litera ut refert habuit. Mathematicè certè fecit acrius propositiones examinans: & benigne fecit, benigne authorem interpretans.





Sint itaque duo triangula a e i, o u y: & æquentur anguli duo e & u æqualium basium a i, o y. rursus anguli i & y sint similiter obliqui nempe acuti aut obtusi & subtendantur ab æqualibus basibus a e, o u. Dico triangulorum reliqua latera e i & u y æquari. Secus si non æquentur sit e i majus. & protrahatur u y in s ut u s æquetur e i. Ergo cum anguli e & u æquentur & e a, u o, itemque e i & u s, ex adversarii thesi, per 9 e a i & o s æquabuntur, & anguli i & s. Sed arcui a i æquatur ex nostra thesi o y. quare o y & o s æquabuntur & per 7 e anguli ad s & y æquales erunt: & quidem cum o s y sit acutus: est enim acuto i æqualis: etiam o y s erit acutus: & proinde reliquus de duobus rectis o y u erit obtusus. At hoc contra thesin elementi est: qua acutus dabatur: Ergo thesis adversarii falsa fuit.

Eodem modo si i & y dentur obtusi propositio sibi constabit. Sunt itaq; triangula æquilatera: Ergo & æquiangula.

12. Si triangulum triangulo æquicrurum est majus basi: est majus angulo: & contra. 51.50.p.3.Regiom.

Sint



Sint enim triangula duo sphę-rica a e i, o u y æqualium crurum a e, o u & a i, o y. basis autem e i majoris basi u y. Erit angulus a major angulo o. Et si hoc: nempe si angulus a æquetur angulo o. quod ad crura & tamē a major jor sit quam o. erit e i basis major quam u y.

Est & hoc commune cum planis 4.e.7.R. Et quemadmodum veritas in planis è 3.c.6.e.3.R. deducitur: sic eodem argumento hæc angulorum ac basium inæqualitas patet. Et sic Regiomontanus in demonstratione hujus elementi nos ad 25 & 24.p.1. Euclidis remittit.

Atq; sic habuimus quæ generalia erant, & triangulo sphærico simpliciter & triangulis comparatè: deinceps de triangulorum speciebus agendum erit: Et primo quidē de rectangulo. Rectangulum autem hic ut & obtusangulum non astringitur ad rectum unum, unumq; obtusum. fieri enim potest ut in eodem triangulo plures sint. Et quidem tres recti rectanguli esse possunt: geodæsia tamen & calculus unum rectum plerunq; postulat.

13. Si crus recti quadrans sit, angulum subtendit rectum: quadranti inæquale similiter recto inæqualem angulum subtendit: & contra. 3.p.4. Regiom.

Similiter inæqualis angulus dicitur ut recto major aut minor prout crus recti majus aut minus quadrante est. Quadrantem autem voco pro peripheria quadrantis.

Esto ergo triangulum rectangulum recti anguli ad a. sitq; crus ejus a e quadrans. dico angulum ad i esse rectum. Est enim per 17 e 12. e polus circuli i a. jam per polum e secat circulum a i. Ergo per 16 e 12 rectè secat. & proinde angulus i rectus est. Quod si a e majus crus sit quam quadrans erit angulus i obtusus. Nam fiat polus in o. circuli i a & per polum secet circulus o i. fiet angulus

lus o i a rectus.qui minor eſt angulo e i a dato. Eodem modo ſi e a ſit minus crus quadrante:fiet u i a rectus: & proinde major quam e i a.



Converſa ſimiliter patet. Si enim angulus e i a rectus eſt: e a erit quadrans. Quia enim i e rectè ſecat circulum i a: per 16 e 12. per polum ſecabit. Eodemque modo cum ex theſi e a rectè ſecet circulum etiam per polum ſecabit. itaq; concurrent in polo per 18 e 12. Quare erunt quadrantes maximorum circulorum. Eodem planè modo probabis e a ſuperare quadrantem ,ſi angulus i obtuſus ſit: ſuperari ab eo,ſi acutus. Nam ut illic o a erit quadrans & tum minor quam a e:ſic hic a u erit quadrans major quam a c.

14. Si trianguli rectanguli crus unum quadrans fuerit, & baſis quadrans erit:ſin crura quadranti ſimiliter inæqualia fuerint:baſis quadrante erit minor,ſi diſſimiliter:baſis erit major.& contra. 4.5.p.4. *Regiom.*

Similiter inæqualia intellige ut crus utrumque aut majus aut minus quadrante ſit.diſſimiliter ſi crus unũ majus reliquũ minus quadrante extiterit.



Eſto itaq; triangulum rectangulum a e i. recti i cujus crus a i ſit quadrans. dico a e eſſe quadrantem. Nam per 13 e. angulus e eſt rectus. Quare perpendiculares

i a & e a circulo e i in ejus polo concurrent per 18 e 12. Ergo a e & a i sunt quadrantes per 17 e 12.

Rursus crus utrumq; a i, e i inæquale sit quadranti. erit e a basis minor quadrante. Sint autem crura primò minora. Continuetur ergo e i in o. ut e o sit quadrans. & i a continuetur in u. ut i u fiat quadrans. tum per u & o sit peripheria maximi sphæræ circuli. in eam continuetur e a in puncto y. Quia itaque u i quadrans perpendicularis est circulo e i. erit polus e i circuli in u per 17 e 12. & per idem angulus y o i rectus. jam cum ex fabrica e o sit quadrans, erit per primam hujus partem e y quadrans. at e y est basis major quam a e basis data.

Deinceps crura sint majora quadrante. Tum secentur quadrantes e s, i m: tum per s & m magnus circulus secet circulum e a in n. jam quia angulus i rectus est ex thesi & i m quadrans. erit per 17 e 12 m polus circuli e s i & angulus ad s rectus per 16 e 12. & cum e s sit quadrans erit per primam partem hujus e n peripheria quadrantis major basi dati trianguli.

Sint deinceps crura inæqualia quadranti dissimiliter & i a majus, i e vero minus. Erit a e basis major quadrante. Continuando secandoq; crura itaq; fiant quadrantes e o, i m: & per o ac m sit maximi circuli peripheria o t in basin. Hic ut ante m erit polus circuli e o. & quia per eum t o secat circulum e o per 16 e 12. angulus t o e erit rectus. & quia e o quadrans: trianguli o e t basis e t quoq; quadrans erit, minor quam a e basis dati trianguli. Conversa quoq; facilis est.

Sit enim trianguli a e i rectanguli ad e basis i a quadrans, dico alterum crus esse quadrantē. polo enim a in i describatur circulus qui erit maximus: cum a i ex thesi sit quadrans. jam si transeat p r e constat a e esse quadrantem per 18 e 12. Quod si non secet circulum a u per e secet sane alibi aut supra e in o aut infra in u. Si in o. itaque a o, o i rectè secantur



cantur per 16 e 12. Et a e perpendicularis est ad e i ex thesi. Quare i est polus circuli a e per 17 e 12. Quare per idem e i crus alterum nempe trianguli erit quadrans.

Eodem modo colliges e i esse quadrantem si polo a in i. descriptus circulus secet a e in u.

Rursus si sit a i minor quadrante crura erunt aut majora eo aut minora. Si sit major quadrante erit crurum alterum majus alterum minus ut simili ratiocinatione facilè colliges, sed impossibile Regiomontanus adhibet, ut & Euclides plerasq; conversas demonstrat. Nam si a i est quadrans erit crurum e i, e a alterutrum quadrans. secus si non sit: erit utrumque aut majus aut minus: aut alterum majus alterum minus quadrante: At si majus, si minus utrumque, basis a i minor quadrante: si unum majus reliquum minus a i erit major quadrante. At hoc est contra thesin.

Rursus si a i basis sit minor quadrante: erit crus utrumque aut majus aut minus. Secus si non sit erit unum quadrans aut unum majus reliquum minus quadrante. Quo posito a i illic erit quadrans: hic major quadrante per ante demonstrata. At a i nec quadrans nec major quadrante ex thesi: Ergo &c.

Eodem modo si a i basis sit major quadrante, alterum crus quadrante majus alterum eo minus erit. Nam si non sit: basis a i aut erit quadrás aut eo minor, ut jam patuit. At nec quadrás nec eo minor. Ergo crus alterũ quadrante majus, reliquum minus.

Itaq;

15. Si trianguli rectanguli angulorum in basi alter rectus sit, basis quadrans erit: sin uterq; æqualiter obliquus, basis quadrante minor est: sin inæqualiter obliquus, major est: & contra. 6.7.p.4.Regiom.

Hoc elementum ex præmissis duobus sequitur. Nam si trianguli rectanguli crus unum quadranti æquatur, basis quadrans est per 14 e.

At si trianguli rectanguli angulus in basi rectus est crus recti, recto in basi oppositum est quadrans. 13. e.

Ergo si trianguli rectanguli angulus in basi rectus est, basis est quadrans.

Sic reliquæ ejus partes ex præmissis duobus elementis syllogismi complexiones sunt. Et novis hic elementis nō esset opus: dato enim antecedente syllogismi: vel non enunciata complexio vera est & intelligitur.

16. Si duo triangula rectangula crurum recti sigillatim quadrante minorum æquentur binis lateribus: sunt æquilatera. *56.p.3.Reg.*



Sint enim rectangula a e i, o u y. rectos habentia ad i & y & e i, i a rursus u y, y o. sigillatim quadrante sint minora. jam bina latera æquētur. Erūt ea aut crura: aut crus recti & basis n utroq; triangulo. Æquentur ergo primo e i, u y & i a, y o. per 9 e æquabitur e a & u o. Quare triangula erunt æquilatera.

Secundo e a, u o, & a i, o y æquentur. dico e i & u y æquari. Continuentur enim i a, y o in s & r ut fiant quadrantes s i, r y. erunt in s & r circulorum subjectorum e i, u y poli per 16 e 12. Rursus ab s & r descendant perpendiculares quadrantes s e, r u æquales: sunt enim quadrantes æqualium scilicet maximorum circulorum. Sed & a s æquatur arcui r o. sunt enim complementa æqualium i a, y o. & e a, u o ex thesi æquantur. Quare triangula æquilatera cum sint erunt æquiangula & s a e, r o u æquales anguli: & reliqui e a i, u o y de æqualibus nempe duobus rectis. jam in triangulis e a i. u o y anguli æquicruri æquales sunt. Ergo per 9 e. bases e i, u y æquabuntur.

Sic de triangulo rectangulo hactenus diximus: quod ut nec ad quadrantem unum sic nec rectum angulum unum est redactum

ctum. pro lateribus tres habere quadrantes poteſt & tum rectos tres habebit. aut duos habet quadrantes & tum totidem rectos: aut nullum habet quadrantem & tum tantum unũ rectum obtinet: & latera omnia quadrante aut minora ſunt, aut duo majora tertium minus: Et illic, reliqui duo anguli erunt acuti: hic vero alter acutus alter obtuſus: ſi modo rectus uni inæqualium laterum opponitur. Si enim rectus ſubtendatur à baſi minore quam ſit quadrans, anguli reliqui ſunt obtuſi. ut jam ante per aliquot elementa patuit.

Et hinc jam patebit quot in triangulo rectangulo data eſſe oporteat ut tertius aliquis & optatus terminus inveniatur. Certè conſtat datis præter rectum angulum quibuslibet duobus terminis tertium inveniri poſſe: abſque alia aliqua laterum aut angulorum determinatione. Si tamen ex dato crure recto & angulo oppoſito baſin inveniendam poſuerimus: ſit'ne ea futura major an minor quadrante præſciamus oportet. id itaq; ex theſi dabitur: Calculus enim hoc non judicabit, poteſt enim fieri ut crure minore aut majore baſis tamen major aut minor ſit. Ita ſi dato crure cum angulo oppoſito crus reliquum inveniendum ſit. aut angulus reliquus, ut in ſequenti figura vides.

Eſto triangulũ i e a rectangulũ. cujus detur crus i e & angulus a. & ſit baſis i a minor quadrante niſi eñ hoc conſtiterit dubiũ eſt: ſit ne aſſumẽda o i an i a. Quia in triangulo i o e eadẽ data manent. crus i e cõmune. angulus o ęqualis angulo a p 5 e 13. & ſinus i a itẽ tangẽs ac ſecãs conveniunt cũ dictis baſis o i p 8 e 5.



Eodem modo ſi his datis velis inquirere crus alterum e a. niſi definias ſit'ne majus aut minus quadrante: calculus id non inveniet. Nam trianguli i e a & i e o communia data ſunt. ſed unius

crus reliquum majus alterius minus quadrante existit:communi etiam sinu,tangente,secante.ita si iisdem datis angulum i investigare velis nisi de ejus specie constet calculus eum non definiet. Nam duorum triangulorum data sunt communia & tamen angulus i unius est obtusus,alterius acutus & utriq; interim respondet idem sinus,secans eadem atq; etiam tangens.

Sequitur de obliquangulo triangulo: quod ut in planis est obtusangulum aut acutangulum.jam fieri potest ut obtusangulum tres obtusos habeat,duos,etiam unum tantum. acutangulum itaq; id tantum erit quod tribus est acutis donatum. De his quædam sunt apud Regiom.9.10.11.12.13.14.p.4 .Quæ tamen ex rectangulis cognosci possunt.

Ne tamen quis hic quicquam desideret:breviter ea subiiciam: demonstranda tamen cuiq; ex superioribus modo jam prædicto relinquam:præmisso hoc elemento.

17. *Si triangulum similiter in basi est obliquangulum: perpendicularis arcus à vertice cadit intra triangulum: extra si dissimiliter 8.p.4.Reg.*

Esto enim triangulum a e i in basi similiter obliquangulum nempe ut e & i aut acuti sint aut obtusi.Dico perpendicularem arcum ab a cadere in basin e o intra triangulum. Secus: si non cadit intra,coincidit lateri aut extra cadit. At neutrum. Nam si coincideret lateri. fieret angulus ad o exempli gratia rectus: quod est contra thesin.



Quod si extra cadat:verbi gratia ad o basis continuatæ,erit a o latus commune duobus triangulis rectangulis.jam in triangulo rectangulo a e o. quia angulus e.exempli gratia est acutus per 13 e.a o. arcus perpendicularis erit minor quadrante.Rursus quia a i e est acutus ex thesi.reliquus

liquus ad duos rectos a i o erit obtusus.itaq; a o per 13 e erit major quadrante. & proinde major & minor eodem: quod est absurdum.

Ergo perpendicularem dicto modo angulis in basi affectis extra cadere est imposibile.

Regiomontanus ut primam partem induxit: sic secundã collegit:nempe perpendicularem non lateri concidere nec cadere intra:si scilicet angulorum unus in basi acutus reliquus obtusus sit:proindeq; cadere extra. Potest tamen & hoc modo ex prima parte colligi.

Sit enim rursus triangulum a e i,& angulorum in basi e sit acutus,reliquus vero i obtusus.Dico perpendicularem à vertice a. cadere extra datum triangulum.



Concurrant enim e a,e i in u. Erit angulus u trianguli a i u æqualis angulo e dato per 5 e.& proinde acutus.

Deinde quia angulus e i a est obtusus reliquus a i u erit acutus. Ergo cum anguli i & u in triangulo a i u sint ejusdẽ speciei nempe acuti: perpendicularis cadet intra triangulum factum.& proinde extra datum triangulum.

Sed hoc est syllogismi demonstrare complexionem: quæ tamen præmissis datis necessario concluditur.Quare syllogistico judicio hæc pars contenta erit isto.

Si perpendicularis à vertice trianguli cadit intra: anguli in basi specie iidem sunt.ex prima parte.

Adde assumptionem quam thesis adfert: At si angulorum alter acutus alter obtusus sit:anguli specie non sunt iidem.

Ergo si anguli in basi disimiliter sint obliqui: perpendicularis non cadit intra. Ergo extra. Nam lateri coincidere nequit,ut in prima parte est demonstratum.

Hoc

Hoc itaque elemento expoſito: ſic de obliquangulis Regiomontani ſunt theoremata.

18. Trianguli acutanguli latera ſigillatim ſunt minora quadrante. 9.p.4.R.

Eſto triangulum acutangulū, hoc eſt trium acutorum angulorum a e i. deſcendat arcus perpendicularis a o. fient triangula a o i, a o e rectangula. jam utrinq; cum ex theſi o a i, & angulus i. item o a e & ang. e. ſint acuti: per 13 e. o a & o i item o a & o e ſigillatim ſunt minora quadrante. Quare per 14 e. & a i & a e ſigillatim ſunt minora quadrante. Eodem modo de e i conſtabit ſi ex alio angulo cadat perpendiculares. Et ſic ſequentes propoſitiones induci poterunt, quod monuiſſe ſatis ſit.



19. Si trianguli duo acuti æquales ſint: æqualium baſes quadrante ſunt minores. 10.p.4.

20. Si trianguli duo acuti inæquales ſint: minores baſis quadrante minor erit. 12.p.4.

21. Si duorum acutorum alterius baſis non ſit minor quadrante: tertius angulus obtuſus erit ejusq; baſis major quadrante. 14.p.4.

Baſis poſtulatur non minor quadrante: ſed aut ei æqualis aut major. Et demonſtratio facilis eſt ex ſuperioribus. Si enim in præmiſſo ſchemate a i ſit quadrans jam aut a o aut o i erit quadrans per 14 e. ſed a o non eſt per 13 e. Ergo o i & proinde e i major & angulus e a i obtuſus. Quod ſi a i ſit major quadrante: erit, quia a o minor, per 14 e o i major &c.

22. Si trianguli duo obtuſi æquales ſunt: æqualium baſes quadrante ſunt majores. 11.p.4.

23. Si trianguli duo obtuſi inæquales ſint: baſis majoris erit major quadrante. 13.p.4.

Hæc ſunt quæ Regiom. habet de obliquis angulis. quæ ex rectangulis huc tamen redundant. TH.

TH. FINKII GEOMETRIAE ROTVNDI,

LIBER DECIMVSQVARTVS.

De calculo triangulorum sphæricorum.

PErvenimus tandem Dei gratia ad id quod inter cætera præcipuè nobis propositum fuit: pervenimus, inquam, ad doctrinam calculi triangulorum: quæ tam est latè dissemita ac diffusa: quam latè cœlum & terra patent. Majori itaq; animi alacritate, studio & diligentiâ summâ ea erit perdiscenda: si modo ad cœlum evolare, arcus globi terreni metiri bene voluerimus: si deniq; hinc in omnia vitæ genera redundantem usum atq; fructum cognoscere cupiverimus.

Calculus erit facilis & expeditus: deductus & ex lemmatis Ptolemęi cyclicis auxilio tabularum Directionū Erasmi Rheinholdi, & ex Regiomontano nostro. Quare primo Ptolemæum sua docentem è Menelao paulò plenius audiamus.

1. *Si quatuor peripheriarum maximorum sphæræ circulorum sigillatim semiperipheriâ minorum, duæ faciant angulum reliquæ ab harum terminis reflexæ se & priores secent: ratio sinuum unius ad sinum sui segmenti vel segmentorum inter se fit è ratione sinuum ita conterminarum peripheriarum, ut prima facientium conterminetur principio antecedentis factæ, secunda hujus consequentis fini conterminata terminetur in finem consequentis factæ.*

Sint quatuor peripheriæ maximorum sphæræ circulorum sigillatim semiperipheria minores, quarū duæ e a, i a faciant angulum, reliquę sint in se reflexę ab i & e secantes priores in o & u

ſe ipſas vero in y. Hinc jam variè ratio ſinuum arcuum particularium componitur: prout in elemento eſt indicatum: Et ſequens quorundam caſuū deſcriptio oſtendit: ubi tamen pro ipſis arcubus, arcuum ſinus intelligantur: Et antecedentibus rationum terminis conſequentes ſubjecti intelligantur. Et ſunt prima duo exempla Ptolemæi.



	Facientes.		Facta.	
A.	i y	o e	i u	u a
C.	y o	e a		
		I I.		
	i o	y e	i a	a u
	o y	e u		
		I I I.		
	a e	o y	a u	u i
	e o	y i		
		I I I I.		
	a o	e y	a i	i u
	o e	y u		
		V.		
	i u	a e	i y	y o
	u a	e o		
		V I.		
	o a	e u	o i	i y
	a e	u y		
		V I I.		
	i a	u e	i o	o y
	a u	e y		

Et

Et ſimiles caſus in reliquis duab. peripheriis colligere potes.
Ptolemæus primum ſuum exemplum ſic demonſtrat.
Sint inſcriptæ arcuum o a, a i, i o, Et ſit centrum ſphæræ s ducanturque radii, s u quidem ſecans i a in r: & s y ſecans i o in



n: & s e. Continuatus concurrat cum a o inſcripta continuata in t. Erit tum s r u pars communis ſectionis a u i & u y e. Recta autem s n y circulorum u y e & i y o. Recta vero s e t circulorum u y e & e o a. Porro inſcriptæ o a, a i, a o t ſunt ſimul in triangulo a o i. Suntq; communes ſectiones trianguli dicti cum dictis circulis. itaque cum r, n, t, ſint in dicto triangulo & circulo u y e. erunt in communi ſectione dictorum planorum trianguli nempe atque circuli hoc eſt in una recta. Nam plana terminantur linea: ergo linea ſecantur per c. 5. e. 1. R.

jam cum quatuor rectæ ſint duæ facientes angulum a t, a i. reliquæ ab harum terminis i & t reflexæ nempe i o, t r ſecantes ſe & priores: per 15. e. 5. R. ratio i r ad r a, hoc eſt per 13 e 5. ſinus arcus i u ad ſinum arcus u a, ſit è ratione i n ad n o, hoc eſt per dictum elementum è ratione ſinus arcus i y ad ſinum arcus y o, & ratione o t ad t a, hoc eſt per 14 e 5 è ratione ſinus arcus o e ad ſinum arcus e a.

Ptolemaicam demonſtrationē omnibus inductionibus non ſufficere arbitratus eſt Thebitius Arabs Corę filius: ſic enim Ben corat vocant: itaq; eam auxit. ut refert Maurolycus ad 1.p.3. Menelai: qui etiam adfert Thebitii lemmata & demonſtrationes.

Rectas itaq; a o, s e non ſemper concurrere in partem averſam peripheriis quarum rationes fiunt, ſed aliquando in eam ipſam, imo aliquando æquidiſtare exiſtimat. Et tum Ptolemęi demonſtrationem non ſufficere arbitratur.



ut in hac figura ſit centrum s. Hic ſi a o continuare velis in dextram partem nunquam concurret cum radio: at verſus ſiniſtram a u coincidit cum eo ad punctum t. itaq; per Ptolemæi demonſtrationem ratio ſinus e o ad ſinum o a componitur è ratione e y ad y u, & u i ad i a.

Reliqua pertexit ex lemmatis ſuis & modis ſex quantitatum: hoc eſt per multiplicationem proportionum: Nec quicquam modi ſunt aliud quam exempla iſtius multiplicationis. Sed reliqua ſic pertexentur: inverſis prioris proportionis terminis: & completis ſemicirculis i a p, i o p. Ratio ſinus arcus i a, hoc eſt ſinus p a per 8 e 5 ad ſinum a u, fit è ratione ſinus arcus i o, hoc eſt

p o ad

p o ad ſinũ arcus o y, & ratione ſinus arcus y e ad ſinũ e u. Quod Ptolemæi primum eſt exemplum: at dices quis dedit i a ad a u ſic fieri? Secundum Ptolemæi exemplum id habet. itaq; ſpecialibus ejuſdem generis omnibus ſatisfeciſſe Ptolemæum credo. Nam ſi radius & inſcripta dicta parallelæ ſint demonſtratio cuivis obvia eſt: ut hic ſi a o & s e ſint parallelæ. Quia itaq; ſunt in eodem plano nempe circulo a o e: & rurſus a o atque r t ſunt in eodem triangulo a i o. itemq; r t & s e in eodem circulo u y e: & harum duæ a o, s e ſunt parallelæ ex theſi. Ergo utraq; parallela eſt ad tertiam r t docente id 6.e.21. R. itaq; per 13. e. 5. R. ut i r ad r a, hoc eſt ſinus arcus i u ad ſinum arcus u a, eſt ut i t ad t o, hoc eſt ut ſinus arcus i y ad ſinum y o. jam ſinus o e & a e æquantur per 8 e 5. Ergo ratio ſinus i u ad u a fit è ratione ſinus arcus i y ad ſinum y o & ratione ſinus arcus o e ad ſinum arcus a e. Nam ratio hæc ultima ſinuum æqualitatis eſt, ideoque rationem non mutat.



Secundum ſuum exemplum Ptolemæus demonſtrat ad primi modum. in quo eadem Thebitius deſiderat. At nos Theonis demonſtratione contenti ſumus quam paulo ante attulimus. ut in ſecundo ſchemate ratio p a ad a u hoc eſt i a ad a u fit è ratione p o, hoc eſt i o ad o y, & ratione y e ad e u: Et hæc demonſtratio omnibus caſibus hujus generis exemplorum convenit. Reliquos caſus ex hactenus dictis ſimiliter expedies.

2. Hinc quatuor conſequuntur. primum: Si maximus ſphæræ circulus maximum ſecet, & à ſecante duo arcus perpendiculares reliquo ducantur: ſinus ſegmentorum ſecantis à ſectionis puncto directè ſunt proportionales ſinibus arcuum perpendicularium. 15.p.4.Regiom.

Eſto ſecet maximus ſphæræ circulus u a, maximũ o a. ſitq; terminus interſectionis peripheriarum ad a. Et à ſecante ſint duo arcus i e, u o perpendiculares ſecto. Dico ſinum u a ad ſinum arcus a i eſſe ut eſt ſinus arcus u o ad ſinum arcus i e. Continuentur enim & concurrãt perpendiculares ad y. erit illic per 18 e 12 polus circuli ſecti o a. Quare per 17 e 12 y o, y e ſunt quadrantes & proinde æquales, & quia æquales, æquales ſinus habent, nempe radium ut ante patuit.



Hinc conclude.



Ratio ſinus u a ad ſinũ arcus a i fit è ratione ſinus arcus. u o ad ſinũ peripheriæ o y. & ratione ſi-

nus arcus y e ad ſinum e i. At hæ inter ſe multiplicatæ ſunt ratio ſinus arcus u o ad ſinum arcus i e. per multiplicationem rationum. heterologi enim æquales ſunt. nempe ſunt radii.

Sin. u o. Radius
Radius ſin. e i. u a. a i.

Ergo hinc jam ſequitur elementum ipſum. cujus vires in calculo triangulorũ multæ ſunt: maximæ in calculo rectangulorum: quorũ ea Geodæſia hæc recipit quæ unum habent rectum.

In ſequentibus autem demonſtrationibus nos ejuſmodi adhibebimus triangulum cujus crura recti ſint minora quadrante, & proinde anguli in baſi acuti. ut triangulũ a e i. cujus angulus e rectus ſit.

a



e i

Et quicquid de ejuſmodi triangulo demonſtratum fuerit: uerum erit etiã ſi crura ſint quadrante majora, proindeq; anguli in baſi obtuſi. ut hic quod de ſiniſtro triangulo fuerit monſtratũ: id verum erit de dextro. Nam cruris e a illic & hic, ſinus idẽ eſt: item e i illic & hic. Sic angulorum ad a & i acutorum & obtuſorum ſinus iidem ſunt per 8 e 5.

a



e c
i

Eodemq; modo ſi crurũ illud quadrantem ſuperet hoc vero à quadrante excedatur. Quia ſinus, ut jam dictum eſt, & proinde etiam tangentes ac ſecantes non mutantur. Quare jam matris fœcundæ filias amabiles videamus.

Itaq; in triangulo rectangulo.

3. Radius eſt ad ſinum baſis, ut ſinus anguli ad ſinum cruris dicto angulo ſubtenſi. 16.p.4.Regiom.

In

In rectangulo crus recti ut & baſis recti intelligitur.

Eſto triangulum rectangulum i e a.

Dico eſſe proportionales

Rad. ſin. a i. ſin. a. ſin. i e.
Rad. ſin. a i. ſin. i. ſin. e a.

Facto enim polo in a, deſcribatur circulus maximus a u y. cũ quo cócurrat e i in y. Erit per 18 e 12 ad y polus circuli o e a. Sed & a o ſecet circulum y o ad o. & a u in u. Erit ergo primo u o. amplitudo anguli a per 4 e 13. & ſecundo u o perpendicularis



ad o a per 16 e 12. cui etiam perpendicularis eſt ex theſi i e. Tertio a u, a o ſunt quadrantes per 17 e 13.

Jam per prædictum elementum

ut ſinus u a hoc eſt ex fabrica radius (Eſt enim quadrans) ad ſinum arcus a i, hoc eſt baſis dati trianguli, ſic ſinus u o, hoc eſt ſinus anguli a ex fabrica ad ſinum i e cruris nempe dicto angulo ſubtenſi. Eodem modo res patebit de angulo e i a. & ei oppoſito crure e a.

Hinc jam patet inventio horum trium terminorum baſis, anguli cum crure oppoſito, datis duobus: idque multiplicationis aut diviſionis via. Verum ut multiplicationis ratio tanquam facilior retineatur: adhiberi tantum elementum in expreſſo caſu ſatis eſt: reliquis enim ſua etiam erunt elementa: ut radius primus aureæ regulæ terminus exiſtat. Sunt

Sunt ergo hujus elementi data præter angulum rectum basis recti & angulus. inventũ erit crus recti angulo dicto oppositum. Et ne res exemplo careat:

Detur basis i a gr. 30.

Angulus a. gr. 23. 28′. Quantus est minimæ inclinationis Zodiaci ad Æquatorem Copernico.

Quæritur i e. arcus nempe quem Astrologi vulgo declinationem vocant puncti Zodiaci i ab Æquatore.

Ex canone i a sinus datur 5,000,000. sinus vero anguli a. 3,982,155. Ergo sinus i e invenietur 1,991,077½.

Rad.	i a	a.	i e
2.	1.	3,982,155	1,991,077½.

Sinus inventus in canone sinuum monstrat arcum gr. 11. 29′ 5″. ut etiam in tabula sua Rheinholdus annotavit. Eodem modo si angulus a esset obtusus gr. 156. 32′. sinus quidem maneret & inveniretur idem. verũ e i non amplius esset gr. 11. 29. 5. Sed 168. 30′, 55″, major scilicet quadrante per 13 e 13. & per 8 e 5. reliquus ad semiperipheriam arcus gr. 11. 29. 5.

4. Radius est ad sinum complementi cruris, ut sinus complementi reliqui cruris ad sinum complementi basis.

19. p. 4. Regiom. 3. theor. Gebri.

ut retento triangulo nostro sunt proportionales

Radius. sin. compl. i e. sin. comp. e a. sin. comp. i a.

Manente enim fabrica prioris figuræ erit u i complementum basis. i y complementum cruris i e, e o complementum cruris a e. Sunt enim ex præmissa fabrica y e, a u, a o quadrantes. At vero per 2 e. ut sinus e y radius ad sinũ y i, sic sinus e o ad sinum i u.

Quare data hujus elementi præter primum aureæ regulę terminum sunt crura: quæritur basis.

Detur exempli gratia e a. grad. 27. 54′. 20″ at i e grad. 11. 29′. 5″. Quæritur basis.

Ex canone igitur sinuũ datur sinus cõplementi e a. 8,837,203. complementi i e 9,799,778. Hinc elementum dictum inveniet sinum complementi i a. 8,660,263.

Z Comple-

	Complementi		
	i e	e a	i a
10,000,000.	9,799,778.	8,837,203.	8,660,263.

Sinui invento respondet arcus grad.60. ejus complementum est basis grad.30.

Sed cur basis non est gr.150? Quia crura sunt minora sigillatim quadrante ex thesi. Ergo per 14 e 13. basis est minor quadrãte.

Ac si crus i e fuisset 168.30'.55''. & crus e a. gr. 152.5'.40''. Et tum basis etiam esset gr.30.

Verum si crus i e quidem fuisset grad. 168.30'.55''. e a vero grad. 27.54'.20''. tum basis esset gr. 150. nempe reliquus peripheriæ gr. 30 de 180. per 8 e 5. Eodem modo deinceps accommodabis exempla ad trianguli crura latera majora, minora quadrante: ad angulos obliquos. jam bis monuisse satis sit. Et

5. *Radius est ad sinum complementi cruris, ut sinus anguli dicto cruri non oppositi ad sinum complementi reliqui anguli.* 2. *theor. Gebri.* 18. *p.* 4. *Reg.*

Sic in triangulo nostro proportionales sunt

Rad.	sin.comp. i e.	sin. ang. i.	sin. comp. a.
Rad.	sin.comp. e a.	sin. ang. a.	sin. comp. i.

Manente enim trianguli nostri fabrica polo i describatur maximus circulus s t. jam i a per polũ secet s t, erit angulus s rectus. Sed & angulus u ex præmissa fabrica rectus est. quare si u y concurrat cum s t in t. erit t polus circuli



s i a.

s i a.& t s,t u fient quadrantes. Et cum i y fecet etiam circulum s t per polum: fient anguli ad r recti & r i quadrans.

jam per 2 e.ut finus arcus r i hoc eft radius ad finum arcus i y complementi cruris i e fic finus s r,hoc eft anguli ad i. ex fabrica & 4 e 13.ad finum arcus y u,hoc eft complementi anguli a.

Eodé modo res patebit de crure e a & angulis in bafi obliquis.

Exempli jam loco detur crus a e grad.27.54'.20''. & angulus a. gr.23.28'. Quæritur angulus i.

Sinus complementi cruris ex canone datur 8,837,203.

Sinus anguli a eft 3,982,155.

Ergo finus complementi anguli i invenietur 3,519,111.

	Com. a e.	fin. ang. a.	fin. com.ang. i.
10,000,000.	8,837,203.	3,982,155.	3,519,111

Sinui invento ex canone debetur peripheria grad.20.36'.15''. Ejus ergo complementum gr.69.23'.45''.eft pro angulo quæfito.

Et in rectangulis

6. *Si æquentur angulis duobus acutis, fed bafibus rectorum fint inæqualia: erit ut finus differentiæ crurum æqualium & rectorum ad finum differentiæ bafium, fic planus finuum complementorum crurum æqualibus oppofitorum ad planum radii atq; finus complementi anguli æqualis. 1.p.5. Regiom.*



Sint enim duo triangula rectangula a e i. a o u æqualia angulo acuto ad a. Sed bafis recti u a major bafi i a. Concurrant jam crura perpendicularia i e,u o in y.ubi per 18 e 12 polus eft circuli a o.

Rurfus per polos maximus circulus y s r fecet & a s & a r rectè fecabit per 16 e 12. & s r determinabit quãtitatem an-

 guli

guli a. & cum r y sit quadrans erit s y complementum anguli a. in utroq; triangulo æqualis: jam sit arcus perpendicularis i t.

Erit per 2 e. primo: ut sinus y u complementi u o cruris oppositi angulo æquali in uno triangulo ad sinum arcus y s complementi anguli æquales: sic sinus i u differentię basiũ ad sinũ i t.

Secundo: ut sinus y i complementi cruris oppositi angulo æquali in altero triangulo ad sinum arcus y e, hoc est ad radium. Est enim y e quadrans: sic sinus arcus i t ad sinum arcus o e differentiæ crurum rectorum angulorum & æqualium.

ut hic oculis subjecta vides.

Sin. y u.	sin. y s.	sin. i u.	sin. i t.
Sin. y i.	Rad.	sin. i t.	sin. o e.

Ergo ex arithmetica proportionum multiplicatione, cum termini secundarum rationum heterologi sint æquales: erit ut factus ab sinu y u per sinum y i ad factum ab sinu y s per radium sic sinus i u ad sinum o e. Quod propositio continebat.

Hinc in triangulis rectangulis calculus quidam est inprimis facilis: pro inventione unius quinq; istorum terminorum præter radium.

Nam ex terminis hic positis apparent hi termini proportionales.

Sin. y i.	sin. y u.	sin. y s.	Quart.
Quart.	radius	sin. i u.	sin. o e.

Ergo si exempli gratia sit quærendus angulus ille ad a. in utroq; triangulo æqualis.

Erit

ut sinus differentiæ crurum rectorum ac æqualium ad sinum differentiæ basium rectorum sic radius ad quartum aliquem.

Rursus ut sinus complementi majoris cruris oppositi æquali angulo ad sinum complementi minoris sic quartus inventus ad sinum complementi anguli quæsiti.

Exempla hujus inventionis invenies apud Astronomos: qui ex observatis phænomeni lõgitudinis ac latitudinis locis duobus angulum obliquitatis circuli phænomeni ad Zodiacum inquirunt.

quirunt.ut ſi ſit notata latitudo cometæ & i e & u o,& ex longitudinibus ſit nota differentia hoc eſt o e. Ex calculo etiam nota differentia i u (nempe ex angulo u y i & complementis latitudinum ut inferior calculus docebit) invenietur hoc ratiocinio angulus a. qui eſt dictæ obliquitatis.

Regiomontanus plura hinc deducit theoremata libro quinto. quæ illic legi poſſunt. Quæ inde eſt inventio: eam arbitror ex hoc calculo eſſe faciliorem. Quod ſi ejuſmodi theoremata colligenda ſint: collectionis finis nunquam fuerit. Quis enim eorum ultimum inveniet?

Et in obliquangulo.

7. *Sinus angulorum ſinibus oppoſitorum laterum directè ſunt proportionales. 17.p.4.Regiom.*

Eſto triangulum obliquangulum a e i.

Erunt proportionales

Sin.an. e.	ſin.an. i.	ſin. a i.	ſin. a e.
Sin.an. e.	ſin.an. a.	ſin. a i.	ſin. e i.

Deſcendat enim perpendicularis ab angulo a in baſin e i. fient duo triangula e o a, i o a rectangula ad o. jam per 3 e. Radius, hoc eſt ſinus anguli o. (Anguli enim o menſura quadrans eſt, & quadrantis ſinus radius eſt) eſt ad ſinum e a ut ſinus anguli e ad ſinum a o.



Et rurſus ut ſinus anguli o ad ſinum a i, ſic ſinus anguli a i o ad ſinum a o.

Sin.an. o. ſin. a e. ſin an. e. ſin. a o.
Sin.an. o. ſin. a i. ſin an. i. ſin. a o.

jam ex proprietate proportionis factus ex ſinu anguli o in a o ęquatur facto à ſinu a e per ſinum ang. e. itemq; facto à ſinu a i per ſinum anguli i. Et proinde facti hi ſibi æquantur itaque per eandem proprietatem ut ſinus a e ad ſinum a i, ſic ſinus anguli i, ad ſinum anguli e. Eadem res in reliquis angulis fuerit.

Et licet hinc

8. Dati anguli dato crure ac baſi, angulum cruri oppoſitum invenire ſi modo obtuſus ne ſit futurus an acutus præſciveris. 29.30.p.4. Regiom.

Exempli gratia ſumamus exemplũ Thaddæi Hagecii ex dialexi ſua de nova ętheria ſtella: habet aũt id capite iſtius ſcripti 13.

Sit angulus e a i gr. 8.50'. & e i ſit gr. 6.14'. atq; a e ſit gr. 41. Hæc enim data illic ſunt. & apud Tychonem inſcripto de eadem re. Quæritur angulus e i a qui obtuſus erit. id enim ex prima inſpectione cœleſtis illius civitatis patere potuit.



Ex illo elemento itaq; jam dicto ſinus e i eſt ad ſinum anguli e a i, ut ſinus a e ad ſinum anguli a i e. Dantur autem ex canone ſinus e i quidẽ 1,085,778. e a i 1,535,608. & a e 6,560,590. Hinc ergo datur ſinus anguli e i a 9,278,595.

e i	a e	a	i
1,085,778.	6,560,590.	1.535,608.	9,278,595.

Sinui invento competit ex canone peripheria gr. 68 6'. & paulo ultra. At angulus datur obtuſus: quare ſinus inventus non erit anguli acuti, ſed obtuſi nempe reliqui 68.6. de 180, hoc eſt 111.54'. ferè. Erit ergo angulus e i a gr 111.54'. Vides ergo neceſſe eſſe ut conſtet ſit ne angulus obtuſus aut acutus quem inveniendum proponis. Anceps enim eſt & dubium triangulum prout in planis quoq; diximus: & eadem hic ratio eſt.

Atq;

Atq; illud eſt quod Regiomontanus ad 29.p.4.admonet: Et à Copernico omiſſum P.Nonius in obſervationum regulis & inſtrumentis ægrè fert.

Et

9. Datorum angulorum data unius baſi reliqui baſin invenire: ſi quadrante major nec ne ea ſit conſtiterit. 32.p.4.Regiom.

ut retenta præmiſſa trianguli menſura detur angulus a. detur angulus i. & detur a e. Quæritur e i. Ejus ſinus invenietur 1,085,778.ut mutatis terminis præmiſsi ſic patet.

Ang. i	a	a e	e i
9,278,595.	1,535,608.	6,560,590.	1,085,778.

jam ſinui invento reſpondet arcus gr.6,14′. Sed & arcus grad. 173.46′.per 8 e 5.at utro baſin definiam? Certe id una dari oportet,quia calculus id non invenit:quemadmodū ex iis patet quæ ſupra de triangulis rectangulis monui: ſi obliquangulum ad rectangula per perpendicularem reducas. Et id eſt quod P.Nonius in 12.theor.14.capitis Copernici deſiderat: quod tamen in Regiom.ad 32.p.4.tulit.

Et hinc etiam,ut obiter hoc addam, pendet praxis 5 & 6. p.5. Regiom.nempe ut datis angulis cum ſumma aut differentia baſium, baſes ipſæ inveniantur: ſi poſtulata planorum in conſilium adhibueris.

Et

10. Si perpendicularis ſecat baſin: ſinus angulorum verticalium ſinibus complementorum angulorum in baſi directè ſunt proportionales. 20.p.4.Regiom.

Eſto enim triangulum a e i. jam perpendicularis ex a. ſecet baſin e i in o. Dico ſinum anguli e a o eſſe ad ſinum anguli o a i, ut eſt ſinus complementi anguli e ad ſinum complementi anguli i. Eſt enim



per

per 5 e. ut sinus anguli e a o ad sinum complementi anguli e, sic radius ad sinum complementi a o.

At ut radius ad sinum complementi a o, sic sinus anguli o a i ad sinum complementi anguli i.

Ergo, per æquatam rationem, ut sinus anguli e a o ad sinum complementi anguli e, sic sinus anguli o a i ad sinum complementi anguli i.

Hinc patet

11. *Discretio unius anguli, in triangulo datorum angulorum, in verticales perpendicularem è dicto angulo in basin factos.* *33.p.4.Regiom.*

Datur enim hic summa duorum arcuum, nempe duorum verticalium angulorum itemque ratio sinuum ipsorum vel sinuum complementorũ angulorũ in basi ratio. unde per 8 e 10. utrumq; angulorum verticalium secernet.

Esto enim trianguli e a i angulus e a i gr. 111.54. at angulus a e i gr. 8.50. angulus demum a i e gr. 61.18′. jam cadat perpendicularis a o. ratio sinus anguli e a o ad sinum anguli o a i est ratio sinus compl. anguli e ad sinum comp. anguli i. Quare ex canone sinuũ dabitur ut 98,814 ad 48,022. resectis scilicet posteriorib. duabus notis.



Datur autem e a i summa duorum gr. 111.54′. Ergo per 8 e 10. angulus e a o erit gr. 83 & 3′. & proinde o a i gr. 28.51. His jam sequens rectangulorum calculus latera dati trianguli inveniet. Et

12. *Si arcus maximi circuli ab angulo bisecet angulum: in sinus anguli crurum sinibus conterminorum basis segmentorum directè sunt proportionales.* *7.p.5.Reg.*

ut in

ut in præmiſſa figura ſi a o biſecet angulum e a i. Erunt per 6 e. termini proportionales

Sin. a e. ſin. e o. ſin.ang. o. ſin.ang. a.
Sin.ang. o. ſin.ang. a. ſin. a i. ſin. o i.

Ergo ex æqua ratione ſunt proportionales

Sin. a e. ſin. e o. ſin. a i. ſin. o i.

Hinc licet angulum verticis biſecare.

Atq; ſic conſectarium unum Ptolemaici theorematis valde fœcundum habuimus: ſequitur alterum.

13. Secundum ſic eſt: Si maximus ſphæræ circulus maximum ſecet, & à ſecante duo arcus reliquo ſint perpendiculares: ſinus ſegmentorum ſecti à ſectionis puncto in perpendiculares tangentibus perpendicularium directè ſunt proportionales.

Sit enim circulus ſecans u a ſectus o a. perpendiculares u o. i e. cócurrant ergo u o, & e i in y, ubi polus erit circuli o a p 18 e 12. & proinde o y, e y ſūt quadrantes maximorum circulorum.



Jam per 1 e ratio ſinus o a ad ſinū arcus a e, fit è ratione ſinus arcus o u ad ſinum u y, hoc eſt per 24 e 5 è ratione tangentis o u ad radium: per rationem ſinus arcus y i ad

ſinum arcus i e, hoc eſt, per 24 e 5, per rationem radii ad tangentem i e.

At hæ facientes rationes multiplicatæ inter ſe, ſunt ratio tangentis u o ad tangentem i e. Quare ut tangens u o ad tangentem i e ſic ſinus a o ad ſinum a e.

Tang. o u	Rad.	Sin. o a. ſin. a e.
Rad.	Tang. i e.	

Atq; illud eſt quod Eraſmus Rheinholdus in tabulis ſuis directionum p. 8 uſum canonis fœcundi etiam conſpici in tractatione ſphæricorum triangulorum ait: quoties nimirum accidat ut duo concurrant ſinus, quorum arcus ſimul uni quadranti æquales ſint.

Itaq; in triangulo rectangulo.

14. *Radius eſt ad ſinum cruris, ut tangens anguli ad tangentem cruris ſubtenſi.*

Hic proportionales ſunt termini

Rad. ſin. a e.	tang. a.	tang. i e.
Rad. ſin. i e.	tang. i.	tang. a e.



Eſto enim triangulum i e a. quo ante uſi ſumus manente ſuperiori fabrica: erit a o quadrans maximi circuli. jam per 13 e. ſinus arcus o a, hoc eſt radius eſt ad ſinum a e cruris recti unius. ut tangẽs arcus u o, hoc eſt ex fabrica, anguli a ad tangentem i e cruris recti angulo dicto ſubtenſi.

Quamobrem dantur hic præter radium crus

recti

recti & angulus adjacens: quæritur crus recti angulo dato oppositum.

Sit exempli gratia datum crus e a gr. 27.54′.20″.& angulus a gr.23.28′. Quæritur crus i e. Eſt ergo ut radius ad ſinum e a, ſic tangens anguli a ad tangentem cruris i e.

Et cum ex canone detur ſinus e a 4,680,155. & tangens anguli a.4,341,209: hinc dabitur tangens i e.2,031,753.

	Sin. e a.	tan. a.	tan. i e.
10,000,000.	4,680,155.	4,341,209.	2,031,753.

Tangenti inventæ in canone reſpondet arcus gr. 11.29′.5″. pro arcu i e. Quadrante enim crus minus eſt per 13 e 13.

Et

15. *Radius eſt ad ſinum complementi anguli, ut tangens baſis ad tangentem cruris dicto angulo adjacentis.*

Sic in triangulo noſtro proportionales termini ſunt

Rad.	ſin. com. an. a.	tan. i a.	tan. a e.
Rad.	ſin. com. an. i.	tan. i a.	tan. i e.

Manente enim fabrica trianguli patuit o y. u a, o a eſſe quadrantes maximorum circulorum: & u o eſſe anguli a menſuram proindeq; u y menſuram ejus complementi. per 13.e. ergo ut ſinus o y, hoc eſt radius ad ſinum y u complementi anguli a. ſic tangens e o ad i u tangentem.

At ut tangens arcus o e ad tangentem i u, ſic tangens i a baſis ad tangentem a e cruris adjacentis angulo a. per 26 e 5. Sunt enim ex fabrica i a, a e complementa arcuum i u, o e.

Ergo ex æquatione rationum ut radius ad ſinum compl. anguli a. ſic tangens baſis i a ad tangentem e a cruris adjacentis.

Eodem modo de angulo i. i a & i e probabis.

Dantur ergo hic præter radium angulus & baſis. Quæritur crus angulo adjacens.

Exempli gratia ſit data baſis i a gr. 30. & angulus a. & cupias inveſtigare e a.

Sinus compl. anguli a. eſt 9,172,920. tangens aūt i a 5,773,502.

Hinc ergo invenitur tangens e a 5,295,987.

	Sin.com. a.	tan. i a.	tan. e a.
10,000,000.	9,172,920.	5,773,502.	5,295,987.

Ergo ex canone tangentiū crus ipſum invenitur gr.27.54'.20". minus ſcilicet quadrante. Quia enim baſis datur minor quadrante per 14 e 13. crura erunt ſimiliter inæqualia quadranti. at unum i e eſt minus quadrante. Nam ex theſi angulus oppoſitus a eſt acutus. Ergo per 13 e 13 i e minus quadrante. Et proinde e a minus quadrante. Et

16. Radius eſt ad ſinum complementi anguli, ut tangens complementi cruris adjacentis ad tangentem complementi baſis.

Hic ergo termini ſunt proportionales:

Rad.	ſin.compl.an. a.	tang.com. e a.	tang.com. i a.
Rad.	ſin.compl.an. i.	tang.com. i e.	tang.com. i a.



Manente enim diagrammate & fabrica noſtri trianguli o y, u a, o a ſunt quadrantes et o u menſura anguli a. Ergo u y erit complementū anguli a.& o e complementum cruris e a.itemq; u i complementū baſis i a. Sed cum ex fabrica i u, e o ſint in y o perpendiculares p 13 e. eſt ut ſinus o y hoc eſt radius ad ſinum y u ſic tan-

gens

gens o e ad tangentem i u. Sic de angulo i & i e res conſtabit.

Data ergo hujus elementi ſunt angulus & crus adjacens: quęritur baſis.

Exempli gratia detur e a gr. 27.54′.20″. & angulus a. gr. 23.28′. quæritur baſis i a.

Ex canone ergo ſinuum dabitur ſinus comp. ang. a. 9,172,920. & ex canone tangentium tangens compl. e a. 18,882,289.

Ergo hinc dabitur tangens compl. i a baſis 17,320,572.

Sin.compl.	a.	tang.comp. e a.	tang.com. i a.
10,000,000.	9,172,920.	18,882,289.	17,320,572.

Ergo ex canone tangentium datur complementum baſis gr. 60. & proin baſis ipſa i a gr. 30. Nam cum e a ſit minor quadrante erit ang. i. acutus & proinde per 15 e 13 baſis minor quadrante.

Et

17. *Radius eſt ad ſinum complementi baſis, ut tangens anguli ad tangentem complementi reliqui anguli.*

Hic ergo in noſtro triangulo termini proportionales ſunt iſti.

Rad.	ſin.compl. i a.	tang. a.	tang.compl. i.
Rad.	ſin.compl. i a.	tang. i.	tang.compl. a.

Repetita .n. fabrica trianguli quæ 5 e fuit. patuit illic i s, a u, u t, s t eſſe quadrantes, & u i eſſe complementum baſis. s r menſuram anguli i. & u y complementum anguli a. & r s, y u in s i eſſe perpendiculares. itaq; per 13 e. ſinus s i, hoc eſt ra-



dius eſt ad ſinum i u ut tangens r s ad tangentem arcus y u.

Data ergo elementi hujus præter radium ſunt baſis, & angulus in baſi unus. Quæritur reliquus angulus.

Exempli gratia detur baſis i a gr.30. detur angulus a gr.23.28′. Quæritur angulus i.

Ex canone itaq; ſinuum datur ſinus compl. baſis 8,660,254.

Et ex canone tangentium datur tangens anguli a. 4,341,209.

Hinc ergo dabitur tangens complementi anguli i. 3,759,597.

	Sin.comp. i a.	tang. a.	tang.comp. i.
10,000,000.	8,660,254.	4,341,209.	3,759,597.

Ergo ex canone tangentium datur complementum anguli i gr.20.36′.15″. & proinde angulus ipſe grad. 69.23′.45″. minor ſcilicet quadrante. Quia enim baſis ex theſi minor eſt quadrante: anguli in baſi ſimiliter inæquales erunt quadranti per 15 e 13. at ex theſi unus datur acutus. Ergo & reliquus acutus erit.

Et

18. *Radius eſt ad ſinum cruris, ut tangens complementi reliqui cruris ad tangentem complementi anguli oppoſiti.*

Hic ergo termini proportionales trianguli noſtri ſunt.

Rad.	ſin. i e.	tang.compl. e a.	tang.compl. i.
Rad.	ſin. e a.	tang.compl. i e.	tang.compl. a.

Manente enim fabrica noſtri trianguli per præmiſſa eſt ut ſinus o a, hoc eſt radius ad ſinum a e cruris, ſic tangens u o ad tangẽtem i e, hoc eſt per 26 e 5. ſic tangens i y cõplementi cruris i e ad tangentem y u complementi anguli a. oppoſiti cruri i e.



Eodem

Eodem modo de angulo i conſtabit ex i e & e a.

Data itaq; hujus theorematis ſunt præter primum aureæ regulæ terminum crura duo. & quæritur angulus alteri crurum oppoſitus.

Exempli gratia. Detur i e gr.11.29′.5″. at e a gr.27.54′.20″.

Quæratur angulus a.

Ex canone itaq; ſinuum datur ſinus e a. 4,680,155.

Et ex canone tangentium depromitur tangens complementi i e. 49,218,748.

Hinc ex præmiſſo elemento dabitur tangens complementi anguli a. 23,035,137.

	Sin. e a.	tan.com. i e.	tan.com a.
10,000,000.	4,680,155.	49,218,748.	23,035,137.

Ergo complementum anguli ex canone tangentium datur gr.66.32′. & proinde angulus ipſe a gr.23.28′. minor ſcilicet quadrante per 14 e 13. crura enim recti minora ſigillatim quadrante dantur.

Eodem modo datis hiſce cruribus invenies angulum i.

Nam ut radius ad ſinum i e ſic tangens compl. e a ad tangentem compl. anguli e i a.

Atq; ſic è Ptolemæi theoremate ſecundum conſectarium fuit: Sequitur tertium.

19. *Tertium ſic eſt: Si maximus ſphæræ circulus maximum ſecet, atq; à ſecante duo ſint arcus reliquo perpendiculares, quorum alter ex interſectis quadrantes ſecet: erit ut radius ad tangentem minoris perpendicularis, ſic tangens complementi majoris ad ſinum ſegmenti circuli ſecti à puncto ſectionis in minorem perpendicularem.*

Sit enim maximus ſphæræ circulus ſecans u a, ſectus vero o a: atque à ſecante ſint perpendiculares arcus i e, u o: quorum alter u o ſecet ex interſectis quadrantes u a, o a. jam concurrant



currant perpendiculares erit in y polus circuli a o & y o. y e quadrantes, ut in prioribus fabricis etiam innotuit. jam sic absoluta fabrica per 1 e. ratio sinus y i ad sinum arcus i e, hoc est per 24 e 5. ratio radii ad tangentem i e fit è ratione sinus arcus y u ad sinum arcus u o, hoc est per dictum 24 e 5. ratione tangentis y u ad radium per rationem sinus arcus o a, hoc est ex thesi, radii ad sinum arcus a e. Atqui hæc multiplicata est ratio tangentis y u ad sinum a e. ut hic vides.

Facientes.			Facta.		
Sin. y u.	tan. y u.	Rad.	Sin. y i.	ad sin.	i e.
	hoc est			id est	
Sin. u o.	Rad.	sin. a e.	Rad.	ad tang.	i e.

Ergo

Ergo radius est ad tangentem i e minoris perpendicularis ut tangens y u complementi majoris ad sinum a e arcus nimirum secti circuli ab a pũcto sectionis in minorem perpendicularem.

Itaq; in triangulo rectangulo.

20. *Radius est ad tangentem cruris, ut tangens complementi anguli oppositi ad sinum reliqui cruris.*

Ergo in nostro triangulo termini proportionales sunt

Rad. tang. i e. tang. comp. a. sin. e a.
Rad. tang. e a. tang.comp. i. sin. i e.

Manente enim rursus fabrica superioris trianguli erunt y o. y e quadrantes & u y complementum anguli a. & a u, a o sunt quadrantes. Cum ergo perpendiculares sint i e,u o & u o secet quadrantes u a,o a erit per præmissum elementum, Radius ad tangentem i e ut tangens u y complementi majoris perpendicularis,hoc est ex fabrica compl.anguli a.ad sinũ a e cruris reliqui. Eodem modo de e a,& angulo i res constat.

Data itaq; hujus propositionis sunt præter radium crus & angulus oppositus:quæritur crus reliquum.

Exempli causa: sit datum crus i e gr. 11.29'.5".itemq; angulus a gr.23.28'. Quæritur crus reliquum e a.

Ex tangentiũ itaq; canone datur tangens cruris i e 2,031,745. & tangens compl.anguli a. 23,035,062.

Ergo ex præmisso elemento invenietur sinus cruris e a. 4,680,137.

	Tan. i e.	tan.com. a.	sin. e a.
10,000,000.	2,031,745.	23,035,062.	4,680,137.

Itaq; ex canone sinuum datur e a gr.27.54'.20". Sed hic dari necesse est sit'ne crus inveniendum quadrante majus aut minus. Nam fieri potest ut crure minore quadrante crus alterum majus sit:& rursus quadrante minus sit:pro magnitudine basis.

Elemento hoc Regiomont. ut alibi sic & 4 p. tabul. direct. Et Erasmus Rheinholdus in suis tabulis direct. 21.23 24.præcepto utitur in inquirenda fixarum ascensione recta & differentia ascensionali.

Et

21. *Radius eſt ad tangentem complementi anguli, ut tangens complementi reliqui ad ſinum complementi baſis.*

Hic termini proportionales ſunt in triangulo.

Rad. tan.com. a. tan.com. i. ſin.com. i a.

Repetita fabrica trianguli ſuperiori s e fiãt quadrãtes ut ante dictum. Et quia r i, ſi ſe ſecant & perpẽdiculares ſunt y u & r s ſecans quadrantes r i, s i. erit ut radius ad tangentẽ y u complementi u o, hoc eſt anguli a, Sic tangens r t complementi s r, hoc eſt anguli i ad ſinum i u complementi baſis.



Data ergo hic duo anguli. Quæritur baſis.

Exempli loco detur angulus a gr. 23.28'. & ang. i. gr. 69.23'.45''. Quæritur i a.

Ex canone ergo tangentium datur tangens complementi anguli a. 23,035,062.

Et tangens complementi anguli i. 3,759,583.

Ergo ex canone hujus elementi ſinus complementi i a invenietur 8,660,223.

Tan.com. a.	tan.com. i.	ſin.com. i a.
10,000,000. 23,035,062.	3,759,583.	8,660,223.

Et proinde ex canone ſinuum invenitur complementum baſis

ſis grad.60.& ita baſis gr.30.minor quadrante per 15 e 13.

Hinc jam ſequetur quartum generale conſectarium.

Et

22. *Radius eſt ad tangentem complementi baſis,ut tangens cruris ad ſinum complementi anguli adjacentis.*

Termini proportionales in triangulo ſunt

Rad.	tan.comp. i a.	tan. i e.	ſin.com. i.
Rad.	tan.comp. i a.	tan. e a.	ſin.com. a.

Repetita enim trianguli propoſiti fabrica erit per 19 e. ut radius ad tangẽtem i u complementi baſis ſic tangens a e cruris ad ſinum u y complementi anguli a.adjacentis cruri e a.



Sunt enim à ſecante e y. perpendiculares i u,e o.& e o ſecat ab interſectis quadrantes. & e a eſt complementum o e. ut ex fabrica hactenus ſæpe allata patet.

Eodẽ modo res patet de i e & i.

Data ergo hic ſunt cum radio baſis & crus. Quæritur angulus cruri dato adjacens.

Exemplũ rurſus ſit illud.detur i a baſis gr.30.& i e gr.11.29′.5″. Quæritur hinc angulus i.

Ex canone itaq; tangentium datur tangens i e 2,031,745.

Itemq; tangens complementi baſis 17,320,508.

Atq; hinc per expositum elementum sinus complementi anguli i invenietur 3,519,079.

Tan.com.	i a.	tan. i e.	sin.com. i.
10,000,000.	17,320,508.	2,031,745.	3,519,079.

Ergo ex canone sinuum dabitur complementum anguli i. gr. 20.36'.15''. & proinde ipse angulus i.gr.69.23'.45''. Et est quadrante minor. Quia enim basis est minor quadrante: per 14 e 13 crus utrumq; similiter inæquale est quadranti. jam vero ex thesi crus unum i e est minus quadrante. Ergo & reliquum. & proinde per 13 e 13 angulus ab e a subtensus acutus est, quia crus est minus quadrante.

23. *Quartum ita est: Si circulus maximus maximum secet, & à secante duo arcus perpendiculares reliquo sint: sinus segmentorum secantis à puncto sectionis in perpendiculares secantibus complementorum arcuum perpendicularium sunt reciprocè proportionales.*

Maximus enim circulus u a secet maximũ o a. atque à secante demissi sint arcus perpendiculares in sectũ u o, i e. qui continuati cõcurrant in y polo circuli o a per 18 e 12. & proinde fient quadrantes o y, e y.

jam per 1 e. Ratio sinus arcus u a ad sinum arcus a i fit è ratione sinus arcus u o ad sinum arcus



u y, hoc

u y, hoc eſt per 28 e 5 è ratione radii ad ſecantem u y. per rationem ſinus arcus y e ad ſinum arcus e i, hoc eſt, ex dicto elemento, per rationem ſecantis y i ad radium.

Ac hæ multiplicatæ ſunt ratio ſecantis y i ad ſecantem u y.

Rad. Sec. y i. ſin. u a. ſin. a i.
Sec. u y. Rad.

Ergo ut ſecans y i ad ſecantem y u, ſic ſinus u a ad ſinum a i.

Poſſet quoque elementum hoc ex 2 e deduci. Nam ut ſinus u a ad ſinum a i ſic ſinus u o ad ſinum i e.

At ut ſinus u o ad ſinũ i e ſic ſecans y i ad ſecantem y u. p 29 e 5.

Ergo ut ſinus u a ad ſinum a i ſic ſecans y i ad ſecantem u y. hoc eſt ſinus ſegmentorum circuli ſecantis ſunt reciprocè proportionales complementorum i e, u o ſecantibus.

Itaq; in triangulo rectangulo.

24. *Radius eſt ad ſinum complementi cruris, ut ſecans baſis ad ſecantem reliqui cruris.*

Ergo termini proportionales hic ſunt

Rad. ſin.com. i e. ſec. i a. ſec. e a.
Rad. ſin.com. e a. ſec. i a. ſec. i e.

Repetita enim fabrica trianguli eſt y e quadrans, i u & e o perpendiculares ad o y. Quare per præmiſſum elementum: Sinus e y, hoc eſt radius eſt ad ſinum i y complementi cruris i e: ut ſecans i a baſis ad ſecantem e a reliqui cruris. Sunt enim ex fabrica u a, o a quadrantes. Ergo perpendicularium i u, e o complementa ſunt i a, e a.

Eodem modo res conſtabit de crure e a & baſi i e.

Dantur ergo hic baſis cum crure uno: Quæritur crus alterum.

Exempli jam loco ſit in triangulo baſis i a grad. 30. & crus i e gr. 11.29′.5″.

Ex canone ergo ſecantiũ dabitur ſecans i a quidē 11,547,004. at ſinus com. i e 9,799,778.

Hinc per dictum elementum ſecans cruris e a. 11,315,807.

	Sin.com. i e.	ſec. i a.	ſec. e a.
10,000,000.	9,799,778.	11,547,004.	11,315,807.

Ergo ex canone ſecantium arcus reſpondens inventæ ſecanti nempe gr.27,54′,20″.eſt pro crure e a.

Quod minus eſt quadrante: quia cū baſis eo minor ſit & crus i e etiam:per 14 e 13 crus reliquum e a eo minus erit.

Et

25. Radius eſt ad ſinum anguli, ut ſecans anguli reliqui ad ſecantem cruris oppoſiti.

Hic termini proportionales ſunt:

Rad.	ſin.ang. a.	ſecans an. i.	ſecans e a.
Rad.	ſin.ang. i.	ſecans an. a.	ſecans i e.

Repetito enim triangulo & fabrica s e circulus maximus t o maximum r e ſecat, & à ſecante arcus perpendiculares reliquo ſunt t r & o e. Nam quia ex fabrica polus circuli s t eſt in i,& proinde i r ſecat circulum s t per polum & rectè ſecat per 16 e 12. Et anguli ad e ex theſi recti



ſunt. Ergo ex fonte horum conſectariorum, ut ſinus o y, hoc eſt radius (Eſt enim o y quadrans) ad ſinum y t, Sic ſecans s r complementi ſcilicet minoris perpendicularis r t. (Nam ex fabrica & 17 e 12 s t eſt quadrans) ad ſecantem e a.complementi majoris perpendicularis.

At y t æquatur ipſi u o.cum enim o y,& u t ſint quadrantes maximi circuli & proinde ęquales, ablato communi arcu u y.relinquentur

quentur æquales arcus.Et u o eſt menſura anguli a.Et s r eſt menſura anguli i.atq; e a crus angulo i oppoſitum.

Quare ut radius ad ſinum anguli a ſic ſecans anguli i ad ſecantem e a cruris oppoſiti. Simili modo res de reliquo crure i e patebit.

Dantur ergo in hoc elemento præter radium duo anguli: quæritur crus recti alteri datorum oppoſitum.

Exempli loco ſit iterum angulus a.grad.23.28′.angulus vero i gr.69.23′.45″. Quæritur jam crus verbi gratia i e.

Ex canone ergo ſinuum datur ſinus anguli i. 9,360,337.

Et ex canone ſecantium innoteſcit ſecãs anguli a. 10,901,656.

Hinc elementũ jam dictum inveniet ſecantem i e. 10,204.317.

	Sin. i.	ſec. a.	ſec. i e.
10,000,000.	9,360,337.	10,901,656.	10,204,317.

Cui ex canone ſecantium reſpondet arcus grad. 11.29′.5″.quadrante minor per 15 e 13 pro crure i e.

Et

26. Radius eſt ad ſinum anguli ut ſecans complementi cruris oppoſiti ad ſecantem complementi baſis.

Termini proportionales hujus elementi ſic ſunt:

Rad.	ſin.an. a.	ſec.com. i e.	ſec.com. i a.
Rad.	ſin.an. i.	ſec.com. e a.	ſec.com. i a.

Manente enim præmiſsi elementi diagrammate. Quia maximus circulus u t maximum s t ſecat, atque à ſecante ſunt perpendiculares ex fabrica s u, y r. Erit ut ſinus u t,hoc eſt radius ad ſinum y t, hoc eſt u o, id eſt anguli a,ut ſecans y i, hoc eſt complementi cruris i e. ad ſecantem i u, hoc eſt complementi baſis.

Eodem quoque modo res ſe habet in angulo i, & crure oppoſito e a.

Data ergo hujus elementi ſunt præter primum terminum aureæ regulæ angulus cum crure oppoſito: quæritur baſis. quæ ſit nec'ne quadrante major ſciri aut dari oportet ut ſupra monui.

Exemplo

Exemplo ſuperiori retento ſit i e gr.11.29′.5″. & angulus a.gr. 23.28′. Quæritur baſis eaq; quadrante minor.

Ex canone itaq; dicti elementi ſecans compl. baſis i a inuenitur 20,000,115.

Sin. a.	ſec.com. i e.	ſec.com. i a.
10,000,000. 3,982,155.	50,224,350.	20,000,115.

Cui in canone reſpondet peripheria gr.60. Ergo i a erit gr.30.

Et

27. Radius eſt ad ſinum baſis, ut ſecans complementi cruris ad ſecantem complementi anguli oppoſiti.

Termini analogias hujus elementi ſic ſunt:

Rad.	ſin. i a.	ſec.com. i e.	ſec.com. a.
Rad.	ſin. i a.	ſec.com. e a.	ſec.com. i.

Maneat enim præmiſſa triãguli fabrica. Quia hic maximus circulus u a ſecat maximum o a. atque à ſecante ſunt arcus perpẽdiculares i e, u o quorũ cõplementa ſunt y i, y u. Erit ut ſinus arcus u a, hoc eſt radius ad ſinum a i baſis: ſic ſecans i y complementi cruris i e ad ſecantẽ y u complementi u o, hoc eſt anguli a.



Simili modo res patet de e a & angulo i.

Dantur ergo in hoc elemento præter radium crus unum & baſis: quæritur angulus cruri oppoſitus.

Sic

Sic si deturi e gr. 11.29'.5". & basis i a.30.
Dabitur ex canone sinuum sinus basis 5,000,000.
Et ex canone secantium secans compl.i e. 50,224,350.
Hinc regula hujus elementi invenit secantem compl.anguli a.25,112,175.

Sin. i a.	sec.com. i e.	sec.com. a.
10,000,000. 5,000,000.	50,224,350.	25,112,175.

Quare angulus ipse ex canone dabitur grad. 23.28'. quadrante minor per 13 e 13.

Et

28. Radius est ad sinum complementi cruris, ut secans anguli oppositi ad secantem complementi reliqui anguli.

Termini proportionis hujus theorematis sunt isti:

Rad.	sin.com. i e.	sec.ang. a.	sec.com. i.
Rad.	sin.com. e a.	sec.ang. i.	sec.com. a.

Repetito enim superiori schemate, quia ex fabrica maximus circulus i r maximum i s secat. atq; à secante sunt perpendiculares r s, y u arcus, quorum complemẽta sunt r t, y t. Erit ut sinus r i, hoc est radius ad sinum i y complemẽti cruris i e, sic secans y t, hoc est u o (sunt enim reliqui ęqualis u y de ęqualibus quadrantibus) hoc est anguli a ad secantem r t complementi s r hoc est anguli i.



Eodem modo veritas probatur in e a & angulo i.

Data ergo hujus elementi ſunt crus & angulus oppoſitus: quæritur angulus obliquorum alter. Si conſtiterit acutus ne an obtuſus exiſtat.id enim calculus non judicabit ex ſuperioribus: niſi conſtet de quantitate baſis, aut cruris oppoſiti. Nam crure uno & proinde angulo ei oppoſito acuto fieri poteſt ut alter acutus & etiam obtuſus ſit.per 13 & 14 e 13.

Eſto exempli gratia crus e i gr.11.29'.5''. & angulus oppoſitus a.gr.23.28'. Quæritur angulus i acutus.

Ex canone ſinuum datur ſinus compl. i e.9,799,778.

& ex canone ſecantium ſecans anguli a. 10,901,656.

Ergo elementum præſens inveniet ſecantem complementi anguli i. 10,683,382.

	Sin.com. i e.	ſec. a.	ſec.com. i.
10,000,000.	9,799,778.	10,901,656.	10,683,382.

Cui in canone ſecantiũ reſpondet gr.20.36'.15''.pro cõplemento. Ergo angulus erit gr.69.23'.45''.Nam ex theſi acutus datur.

Atque hoc modo conſectaria è Ptolemaico elemento habuimus:totumque inde calculum trianguli rectanguli:etiam quendam obliquanguli.Supereſt tantum ut in eo diligenter ſe Mathematum candidatus exerceat.

Elementa ſunt pro inventione alicujus tertii termini datis duobus quibuslibet:idq; per numerationem conjunctam. Via tamen multiplicationis expeditior eſt, & ad eam accommodata ſunt elementa.

Etſi autem ita plane eſſe ac perſpicuè expoſitũ hunc calculum arbitror: ut ulteriori additione non opus ſit: Quo tamen promptior ſit & expeditior inventio:datorum expoſitionem & ex iis inventionem quæſiti proponens elementum ſequens diatypoſis monſtrabit.

Inveniri autem debent aut baſis aut crus aut angulus. Angulus & crus adjacẽs aut oppoſitũ hic intelligatur ratione quæſiti.

Inventio cruris recti anguli è datis.

1. Baſi & angulo oppoſito. 3 e.
2. Baſi & angulo adjacente. 15 e.

3. Baſi

3.	Basi & crure reliquo.	24 e.
4.	Crure & angulo opposito.	14 e.
5.	Crure & angulo adjacente.	20 e.
6.	Duobus angulis in basi.	25 e.
	Inventio basis recti è datis.	
1.	Recti cruribus.	4 e.
2.	Angulo & huic crure adjacente.	16 e.
3.	Angulo & huic crure opposito.	26 e.
4.	Duobus angulis.	21 e.
	Inventio anguli in basi ex datis.	
1.	Crure opposito & angulo.	5 e.
2.	Crure adjacente & angulo	18 e.
3.	Basi & reliquo angulo.	17 e.
4.	Basi & crure adjacente.	22 e.
5.	Basi & crure opposito.	27 e.
6.	Cruribus.	18 e.

Hinc etiam deductus est quidam obliquangulorum calculus ad 8 & 9 e. sed reliquus obliquangulorum etiam inde dependet.

Itaq; hinc licet.

29. Reliquum obliquanguli calculum ita in rectangula duo perpendiculari arcu divisi, ne è tribus datis terminis duorum turbetur noticia, absolvere.

Hoc jure nobis optimo esse postulatum potest: nec quicquam habet obscuritatis aut difficultatis cognita calculi doctrina ea quam modo exposuimus. Requirimus tria data: & totidem requirenda ipse calculus admonet: Triangulum oblatum in rectangula est deducendum idq; fit perpendiculari arcu ex angulo aliquo dimisso: ita tamen dimisso ne duorum datorum offendatur noticia. Secus enim nec calculus rectanguli trianguli adhiberi potest. Hinc ergo

1. Datis duobus angulis una cum latere utriq; adjacente reliqua inveniemus. puta latera reliqua & angulum. 51.p.4.Regiom.



Esto enim trianguli a e i, cujus anguli duo sint dati nempe a & e. cum adjacente latere e a. Sitq; verbi gratia a e gr.38.20'. angulus a.gr.111.54'.& angulus e gr.8.50'. Ducatur jam ab a perpendicularis arcus: qui sive intra cadat, sive extra calculus perinde procedit: & calculus hoc docet.

Fiunt ergo hic duo rectangula e a o, o a i. quorũ calculus quæsita in obliquangulo patefacient.

In triangulo ergo rectangulo e a o datur angulus e. datur recti basis e a. Ergo per 3 e. dabitur perpendicularis a o gr.5.28' ferè.

	Sin. e a.	sin.ang. e.	sin. a o.
10,000,000.	6,202,356.	1,535,608.	952,439.

Et segmentum basis e o.gr.38.0'.4''.per 15 e.

	Sin.com.an. e.	tan. e a.	tan. e o.
10,000,000.	9,881,392.	7,906,973.	7,813,190.

Et per 5 e vel aliud aliquod, cum plura hic sint data, angulus e a o.gr.83,3'.

	Sin.com. e o.	sin.ang. e.	sin.com. a.
10,000,000.	7,879,988.	1,535,608.	1,210,031.

Quod si jam angulus e a o inventus major sit angulo dato e a i: perpendicularis cecidit extra triangulum: quod si minor sit cecidit intra. Atque ut illic subductio dati e a i ab invento relinquit angulum o a i rectanguli trianguli reliqui: sic hic cõtra subductio inventi à dato reliquum facit angulum i a o.

Et cum in præsenti exemplo inventus minor sit eo subducto de angulo e a i gr.111.54'. relinquitur angulus i a o gr.28.51.

Jam in triangulo i a o rectangulo cum detur a o perpendicularis nempe, itemque angulus i a o per 14 e invenietur crus io grad. 3.

Sin.

	Sin. a o.	tan.an. a.	tang. i o.
100,000.	952,439.	5,508,916.	524,690.

Et hinc ex duobus cruribus per 4 e basis invenitur gr.6.14'.

	Sin.com. i o.	ſin.com. a o.	ſin.com. i a.
1,000,000.	998,630.	995,452.	994,088.

Vel per 16 e.eodem modo invenietur.

	Sin.com. a.	tan.com. a o.	tan.com. i a.
10,000,000.	8,758,860.	104,491,055.	91,522,302.

jam per 5 e angulus a i o invenietur gr.61.18'.

	Sin.com. a o.	ſin.an. a.	ſin.com. i.
1,000,000.	995,452.	482,518.	480,324.

jam itaq; ut reſpondeatur quæſtioni:habemus latus i a ex hoc calculo gr.6.14. & angulum a i e invenimus gr.61.18'.

Quantum autem erit latus e i? Habemus inventa ſegmenta e o,o i.jam ſi perpendicularis intra triangulum cecidit tum ſumma e o,o i.ſui extra differentia eſt latus e i. Hic quia perpendicularis intra cecidit ſumma gr.38.& grad.3.hoc eſt gr.41. eſt pro latere quæſito. Et.

2. *Datis angulis inveniuntur latera.* 33.p.4.Regiom.



ut ſi trianguli modo dato noti ſint anguli. Deſcendat ab a perpendicularis a o.jam per 11 e. angulus e a o,dabitur itemq; o a i.Quare in triangulo rectangulo e a o. dabitur ex ſuperiori calculo a e, & e o. Rurſus in triangulo o a i eadem illa ſuperiora invenient a i & o i. Atque ita duo latera inventa ſunt. tertium e i eſt ſumma laterum e o,o i.ſi perpendicularis intra cecidit. Quæ via eſt faciliма ut ſemper intra cadat:quod fiet ſi anguli duo in baſi aſſumantur iidem ſpecie per 17 e 13. Et

3. *Quæ calculus obliquangulorum ſuperior non invenit hinc ſcrutabimur.*

ut ſi detur a e & a i itemq; angulus e.8 e inveniet angulum i. Deſcendat jam perpendicularis a o. fient rectangula in quibus cum detur illic a e & angulus e. dabitur angulus e a o & e o. hic vero cum nota ſint a i & angulus i. invenietur angulus i a o & o i. jam ut propoſiti trianguli angulum e a i,& e i definias: ſcias caſum perpendiculi neceſſe eſt ex angulis e & i. & inde ſumma particularium quæſitorum,ſi intra cecidit: differentia,ſi extra,pro quæſito eſt.



Eodem modi ſi dentur anguli e & i cum latere e a per 9 e dabitur a i.& hinc reliqua ut jam dictum eſt.

Et ſic reliquis caſibus hoc præſens poſtulatum ſufficiet. Et ſic jo.Regiomontanus 28.p.4.datis cruribus dati anguli reliqua inveſtigat.

At vero ut datorum laterum trianguli angulos inveſtigemus triplicem ab eo methodũ accepimus. Prima hujus eſt poſtulati artificioſa ſatis & cõpẽdioſa quam 4 p.5 exponit. ut ſi detur triangulum y u i datorũ laterum.



Sitq;

Sicque verbi gratia inveniendus angulus y.



jam facto polo in y describatur peripheria maximi circuli o e secans i u ad a. & y u, y i secent hūc maximum, recte secabūt per 16 e 12 ac erunt y o, y e quadrantes. & proinde u o, i e complementa laterum y u, y i.

jam quia circulus u a secat maximum o a. & ab u a sunt perpendiculares u o, i e: erit per 2 e sinus u a ad sinum a i, ut sinus u o ad sinum arcus i e. Quare cum ex thesi dentur u o, i e complementa scilicet laterum y u, y i dabuntur eorum sinus, & proinde ratio u a ad a i. Atq; hæc in utraque figura conveniunt. jam si sint latera y u, y i minora quadrante vel majora sigillatim, ut in prima figura: datur ex thesi differentia arcuum u a, a i nempe i u latus id cujus tanquam basis angulus quæritur. Sin latus unum verbi gratia y i quadrante minus sit, reliquum majus: datur ex thesi summa arcuum i a, a u. Sed jam eorum ratio innotuit. Ergo per 8 e 10. invenietur u a, & a i. jam in triangulo a i, i e rectangulo data basi ac crure i a & i e: dabitur angulus e i a. æqualis trianguli dati angulo i. in prima figura. at in secunda reliquus de duobus rectis est pro quæsito. Et invenietur crus a e.

Secundo in triangulo a u o rectangulo nota basi u a ac crure u o invenietur angulus ad u. cujus complementum ad duos rectos est pro angulo ad u trianguli dati in prima figura. Sed in secunda est ipse angulus u. & invenitur etiam a o.

jam in prima figura differentia a o, a e est angulus ad y.

at in secunda summa dictorum arcuum angulū ad y subtendit.

Secunda hujus inventionis methodus est 34. p. 4. ubi angulum in centro investigat equalem sphærico. Eam retinuit quoq;

Copernicus

Copernicus 13.theor.14.cap.l.1. Apud eos hæc via legi potest.

Tertia methodus est ad 3 p 5 ex 2 p 5 theoremate certè in Mathematicis ac Astronomicis magnæ utilitatis. Ac certè in maximis & creberrimis in Astronomia inventionibus adhiberi videmus non tantum à Regiomontano atq; Copernico, & id quidem obscure: sed etiam à junioribus, Nonio Cardano & aliis. itaq; & nos hic retinebimus tanquam secundum calculi fundamentum. primum enim positum nobis fuit in Ptolemaico lemmate. Atque ut ante Ptolemæum audivimus: sic modo Regiomontano nostro attendamus.

30. In triangulo sphærico potentia radii est ad planum crurum, ut sinus secundus anguli dictorum crurum ad differentiam sinuum secundorum basis & differētiæ crurum.

Esto triangulum a e i sphæricum: ex cujus angulis a & e tanquam polis describantur maximi circuli quorum peripheriæ se-



cent

cent ſe in o. tum & circulus a e ſecet deſcriptos in u & y: & quidem rectè per 16 e 12. eruntque a u, e y quadrantes, & proinde u y æqualis cruri e a. & o u, o y ſunt quadrantes. ſed & a i & e i ſecent circulos u r, y s per polos in m n. Erit u m menſura anguli a per 4 e 13. Et ſint paralleli t i p quidem ipſi u o r. at d i h ipſi y o s.

Erit ergo t e differentia crurum & e d æqualis baſi e i.

Dico jam ſinum ſecundum arcus u m eſſe ad differentiam ſinuum ſecundorum e d & e t arcuum. ut eſt potentia radii ad planum ſinuum crurum, nempe ſinuum a e, hoc eſt u y & a i.

Hoc ut plenius demonſtretur: deſcribatur circulus y e a s. in



quo ſint communes ſectiones circulorum y a s & y o s recta y s: circulorum vero y a r & y o r recta u r. rurſus communis ſectio circulorum i e h & d i h ſit recta d h. itemq; circulorum y t p & t i p recta t p. jam radius ſphæræ ſecet t p in q. itemq; radius o e ſecet d h in c. Et ſit in radium ſinus arcus a e recta a m, hoc eſt u f. Nam arcus a e & u o æquantur. Ergo ſinus ejus ſecundus erit e m. Et baſeos e d ſinus ſecundus eſt e c. Et differentiæ crurum e t ſinus ſecundus eſt e n. Quare differentia ſinuum ſecundorum baſis & differentiæ crurum eſt n c, hoc eſt per 2.c.6.e.10.R. eſt t l.

Rurſus ex ſuperioribus illud conſtat, cum circulus maximus y a p ſecet circulos t i p & d i h per polos, biſecare & proinde rectè ſecare ideoq; per centrum ſecare quare communes ſectiones t y p, d c h ſunt ſectorum diametri & proinde q & c ſunt eorum centra. Hinc & illud ſequitur t i eſſe ſinum ſecundum arcus t i. cum enim uterq; circulorum t i p & d i h perpendicularis ſit circulo y e a p. ut jam patuit: erit eorum communis ſectio, quæ per punctum i eſt, perpendicularis circulo y e a p per 10. e.21.R. & proinde perpendicularis diametro circuli t i p per 3. e. 21. R. Quare hanc ſectionem communem diameter t q p biſecabit: eritque biſegmentum ſinus arcus t i: & proinde i t ſinus ejus ſecundus. Quemadmodum hæc in ſphæra armillari plenius concipi poſſunt.

Abſcindatur etiam peripheriæ u m ſinus ſecundus u b, è diametro ſcilicet circuli u o r. jam cũ a u & a m maximi circuli ſecét parallelos per polos: ſegmenta u m & t i ſunt ſimilia per 24 e 12.

Ergo per 3 e 5. ut radius circuli u o r, hoc eſt u o ad radium circuli t i p, hoc eſt ut jam patuit t q. id eſt ſinum arcus a t vel cruris a i dati trianguli, ſic u b ſinus ſecundus anguli a ad t i ſinum ſecundum arcus t i.

Secundo cum triangula u f o, & t l i rectangula, æquentur angulo l t i & f u o per 4.c.12.e.5.R. Quia enim circuli u o r & t i p paralleli, ex theſi, ſecantur circulo y a p: communes ſectiones per 14.e.21.R. erunt parallelæ: & per 12.e.5.R. t l & u f ſunt parallelæ. Quare anguli l t i, f u o ſunt anguli crurum alternè parallelarum.

larum. Et proinde per c.3. e.7.R. triangula dicta sunt æquiangula: ac per 9. e.7. R. ut u o radius ad u f sinum cruris e a sic t i ad t l differentiam sinuum versorum basis ac differentiæ crurum. Quare termini proportionales sic sunt in triangulo proposito.

Rad. sin. a i.	sin.sec.an. a.	sin.sec. t i.	
Rad. sin. a e.	sin.sec. t i.	Differentia &c.	

Itaq; per proportionum multiplicationem ut planus radii ad planum sinuum crurum. Sic sinus secundus anguli ad differentiam sinuum secundorum basis ac differentiæ crurum.

Itaq;

31. *In triangulo sphærico radius est ad quartum radio sinibus cruris unius itemq; cruris reliqui proportionalem ut sinus secundus anguli crurum ad differentiam sinuum secundorum basis ac differentiæ crurum.*

Esto enim triangulum a e i, erit per præmissum elementum ratio sinus secundi anguli a ad differentiam sinuum secundorum basis e i, & differentiæ crurum facta ut hic vides.



An. Con.	Rad. sin. a i.	Rad. sin. a e.	Sin.sec. a.	Diff.sin.&c.

Ergo si sit ut radius ad sinum a e sic sinus a i ad quartum: Erunt facientes radius ad sinum a i & a i ad quartum. Ergo, cum heterologi æquentur, ut radius ad quartum inventum, sic sinus secundus anguli a. ad differentiam dictam.

Quare termini proportionales sic sunt:

Radius.	ſin.cruris.	ſin.cruris.	Quartus.
Radius.	Quartus.	ſin.ſec. a.	Diff.ſin.ſecund. Baſ.& diff.cru.

Et hinc licet.

32. *Datis anguli dati cruribus, baſin ejus invenire. 28.p.4.Reg.*

Quod ſi crura ſunt æqualia, anguli in baſi æquantur per 7. e 13. ideo per 9 e 13. perpendicularis biſecat baſin. hinc poſtulatum ſuperius citius tibi ſatisfaciet.



Sint ergo crura inæqualia: & detur a e gr.41. a i vero gr.38.20'. cum angulo a. grad. 8.50'. quæ data ſunt exempli iſtius ſupra allati ex Tychone & Thaddæo.

Quæritur hinc e i diſtantia nempe duarum ſtellarum Caſsiopeæ.

Primo ergo termini ſic ſunt:

	Sin. a e.	ſin. a i.	
100,000.	65,606.	62,023.	40,811.

Secundo ſic diſponentur termini invento ſinu ſecundo anguli a. nempe ſubducto ſinu complementi de radio.

		Sin.ſec. a.	
100,000.	40,811.	1,186.	484.

Ergo differentia ſinuum ſecundorum baſis ac differentiæ crurum eſt 484.

Hæc ergo differentia addita ad ſinum ſecundum differentiæ crurum eſt ſinus ſecundus baſis. ut in hoc exemplo ſinus ſecundus differentiæ crurum gr.2.40. eſt 108. Ergo ſumma 484 & 108. hoc eſt 592. eſt pro ſinu ſecundo baſis. i s de ſinu toto ſeu radio relinquit 99,408. cui competit gr.83.46'. Ergo ejus complementum gr.6.14'. eſt pro baſi quæſita.

Et

Et ex hoc elemento, ut cæteros jam usus taceam, magna Geographiæ auxilia parantur: in quærendis terrestrium locorum distantiis: ubi locorum diversa & latitudo & longitudo existit: sic enim Geographi nominant. Et sic inquirit P. Nonius libro secundo de observat. Regul. ac instrument. c. 20. Et Cardanus etiam eam ad rem citat 2 p 5 Regiomontani in libris de Varietate rerum. Et nuper in edita à se Astronomia Mæstlinus amicus noster eandem viam ingressus est. Plura tamen hujus theorematis exempla luculentissima Nonius in libro de crepusculis suppeditabit.

Et

33. *Datis trianguli lateribus, cujusvis basis angulum invenire.* *3.p.5.Regiom.*

Inventio ex hactenus dictis non est obscura. Sunt enim in triangulo dato termini huic rei accommodati proportionales hoc modo:

Rad.	sin cruris.	sin cruris reliqui.	Quartus.
Quart.	Radius.	Differentia sinuum Sec. basis & differentiæ crurum	sinus secund. anguli oppositi basi.

ut si ex datis tribus lateribus

a e.	41.	
a i.	38.	20.
e i.	6.	14.

Quæratur angulus e a i.



Termini ergo proportionales sic sunt:

	I. Sin. a e.	sin. a i.	
100,000.	65,606.	62,023.	40,811.
	II.		Sin. sec. ang. a.
40,811.	100,000.	484.	1,186.

 Tertius

Tertius terminus 484. est differentia sinuum secundorum basis e i & differentiæ crurum. Hunc si basis minor quadrante sit compendio invenies si differentiam assumas sinuum complementorum basis ac differentiæ crurum. Quod Regiomontanus ad 2 p 5 admonet. Sed tamen si basis quadrante major sit. perinde non invenietur.

Et sic calculum triangulorum exposuimus. collegimus ea quæ usum habere videbantur: & quibus cognitis omnia ea quæ specialia ab aliis colliguntur tractari & expediri commode possint: nec tantum ea tractari quæ collecta sunt, sed quæ quotidie Astronomis, Geographis aliisque occurrunt & inveniuntur. Nec enim adhuc tot tamq; varii casus collecti sunt ut ultimum viderimus. Tu iis candide Lector fruere in suo quisq; proposito exemplo: & studiis nostris fave.

FINIS.

ELEMENTA INSE-
renda ad quintum Rami ſic ſunt reſtituta.

14. *Si duæ rectæ ſe ſecantes parallelis pluribus interſecentur: parallelæ conterminis ſegmentis ſunt proportionales.*

EST è 13 e conſectarium. Sint enim rectæ a e, a i interſectæ ad a. Eas ſecent parallelæ u o, e i. Erit ut a u ad u o ſic a e ad e i. Erigatur enim à termino i parallela i s ad a e. & u o in eam continuetur. Tum à termino s ſit ad a i parallela s y. in quam continuetur recta a e. Erit a y æqualis rectæ i s, hoc eſt u e per 5 c 12 e. Erit tandem per 13 e ut u a ad u o ſic a y, hoc eſt u e ad o s.



Ergo per compoſitionem proportionum ut u a ad u o ſic u a & u e ad u o & o s, hoc eſt e i p 6 c 12 e.

Eadem fuerit demonſtratio ſi rectæ ſint verticaliter interſectæ, ut in eodẽ diagrammate patet. Si enim datæ a i & u s interſectæ verticaliter in o ſecentur parallelis a u, s i. Completa præmiſſa fabrica erit per 13 e ut a u ad a o conterminum ſegmentum, ſic a y hoc eſt i s ad o s conterminum ſegmentum. Elementum 13 invenit tertiam & quartam proportionalem: hoc continue mediam proportionalem ſimplicem aut duplicem ſuppeditabit.

Itaq;

1. *Si datæ duæ rectæ in unam continuentur: perpendicularis à puncto continuationis in angulum normæ continuatam*

nuatam cum continuatione includentis eſt media propor- tionalis inter datas.

Norma ſive gnomon, canon, eſt inſtrumentum crurum anguli recti. de qua ſupra fuit ad 8 e. Ejus opera media datis proportionalis invenitur. unde & Meſalabum ſeu Meſographus ſimplex dici poſſet. Sint datæ duæ rectæ a e, e i.

a———————e
e————i

Quęritur his media ꝓportionalis: ad quā ſit ut a e ſic e a ad e i.

Continuetur ergo a e in i ut continuatio e i æquetur reliquæ datæ. Dehinc è puncto continuationis e erigatur perpendicularis infinita e o. jam circa hanc perpendicularem ſurſum deorſum, horſum illorſum moveatur norma a o e ut angulo ſuo comprehendat e o. cruribus vero includat rectam a i.



Dico ſegmentum perpēdicularis e o eſſe mediū proportionale inter datas.

Continuetur enim e a in u, ut continuatio a u æquetur e o. Et ad punctū continuationis a. fiat angulus u a s angulo o e i æqualis & æquicrurus: hoc eſt crus a s fiat æquale cruri e i. Quare connexis u & s. rectæ u s & o i æquabuntur, & anguli e o i, a u s per 1. c. 6. e. 3. & per 12 e. s a, o e ſunt parallelæ, & angulus s a o. æqualis angulo a o e. Sed & anguli s a e & a o i ſunt recti ex fabrica & theſi: & proinde æquales. quare

quare reliqui o a e & e o i, hoc est s u a sunt æquales: & proinde per 12 e u s & a o parallelæ: & u s ac e o continuatæ concurrent. ut hic in y: & per 5.c.12.e. o y & a s æquantur.

jam per 14 e. ut u e ad u a sic e y, ad a s. Ergo per subductionem proportionum: ut e a ad u a sic e o, hoc est u a ad o y, hoc est a s.

Et

2. *Si datæ duæ rectæ rectè conterminæ verticaliter continuentur: norma crure suo eiq; parallelo mobili incidẽs in terminos datarum, angulis in continuatas, intersecabit è continuatis duas medias continuè proportionales datis.*

Præmissum consectariũ Mesolabii simplicis fuit: hoc duplicis est. cujus usus in fabricandis optatis corporibus est perspicuus.

Sint datæ duæ rectæ a e, e i.

e——————i

Sintq; inveniendę rectæ mediæ continuè proportionales,

a————e

nempe ut sit a e ad inventam sic inventa ad inventam secundam & ut illa ad hanc sic hæc ad e i.

Contermine̅tur itaq; datæ rectè ad e. & infinite continuentur sed verticaliter: nempe i e versus u. at a e versus o. jam ad reliquam fabricam Platonis fuit mesographus norma scilicet oppositis cruribus parallela: Ejus crus unũ per cavum cõtermino-rum laterũ mobile est. Ergo mesographum tibi comparabis: si normæ addas unicum latus mobile, sed oppo-



fito cruri utcunq; motum parallelum: quæ duplex quasi norma est, jam si hæc norma adhibeatur: & tamq; diu latus mobile volvatur ut cum opposito contineat terminos datarum, sed anguli in continuatas incidant: rectæ à continuationis puncto in angulos normæ sunt quæsitæ. ut si Mesographi a u o i latus o i mobile sit: hac illac volves donec anguli u & o incidant in infinitas, & simul u a, o i attingant terminos a, i. Erit per consectarium præmissum

ut e i ad e o sic e o ad e u.
ut e o ad e u sic e u ad e a.

Et sic Mesolabium tam simplex quam duplex expositum fuit: cujus usus fabricis lineati optati est accommodatissimus.

15. Si quatuor rectarum duæ faciant angulum reliquæ ab harum terminis in se reflexæ priores secent: ratio unius ad segmentum suum vel segmentorum inter se fit è ratione ita conterminarum ut prima facientium contermine tur principio antecedentis factæ, secunda hujus consequentis fini contermina terminetur in finem cōsequentis factæ.

Elementi hujus duo exempla specialia Ptolemæus habet: Theonsis quatuor addidit in c 1 μεγάλ. συντάξ. de alterutra angulum continentium & reflexarum.

Sint ergo duæ rectæ a e, a i & ab harum terminis reflexæ aliæ duę i u, e o secantes se in y & datas priores in u & o. Erit ratio particularium rectarum facta: ut sequens typus ostendit: in quo antecedentes facientium superiori loco sunt: cōsequentes suis antecedentibus subiiciuntur.



1. Est

Facientes.		Facta.	
	I.	Eſt Ptolemæi & Theonis I.	
i u.	y e.	i a.	a o.
u y.	e o.		
	II.	Eſt Theonis VI.	
a u.	e y.	a i.	i o.
u e.	y o.		
	III.	Eſt Theonis III.	
e a.	u i.	e o.	o y.
a u.	i y.		
	IIII.	Eſt Theonis II.	
o a.	i u.	o e.	e y.
a i.	u y.		
	V.	Eſt Ptolem. II. Theonis IIII.	
i y.	u e.	i o.	o a.
y u.	e a.		
	VI.	Eſt Theonis V.	
e u.	a i.	e y.	y o.
u a.	i o.		

Eodem modo in reliquis duabus ſe res habet: ſive terminos alternes ſive invertas.

Pro demonſtratione foris à Ptolemæo quædam aſſumitur: quæ multiplicans duas faciendis proportionales iis proportionales alias inveniat. De hac aſſumpta Theon hanc tradit regulam: ut ſit parallela alteri duarum quibus interponitur vel adjungitur, vel pars alterius earundem, vel è contra ut altera harum ſit pars aſſumptæ deforis. Quæ tamen in ſpeciali exemplo determinate aſſumendam deforis non monſtrat. Quare relicta hac Theonis regula, iſta demonſtrationis nobis fabrica ſit: ut à prin-

cipio antecedentis factæ parallela conſequenti ſecundę facientium ducatur in aliquam datarum infinitè continuatam.

Erunt tum multiplicatæ proportiones.

Anteced. Conſeq. Anteced. Conſeq. ſecundæ facientium : utrobiq; æqualitatis ratio.

Anteced. Conſeq. primæ facientium, parallela, antecedens ſecundæ facientium per 14 e.

Ergò per multiplicationem proportionum, ratio parallelę ad conſequentem ſecundæ facientium, hoc eſt, ex fabrica & 14 e, ratio antecedentis factæ ad conſequentem fit è ratione &c. dicto modo.

Exempli gratia demonſtretur exemplum primum ſpeciale.



Dico ergo rationem i a ad a o eſſe factam è ratione i u ad u y per rationem y e ad e o. Ducatur enim à principio antecedentis factæ nempe puncto i parallela rectæ e y. quæ concurrat cum a e continuata in n. Erit ergo per 14 e. ut i a ad a o ſic parallela ducta ad e o conſequentem ſecundæ facientium. Sunt ergo jam multiplicatæ proportiones.

i u. u y. i n. e y. per 14. e.
y e. e o. e y. e o.

Ergo ut factus ab i u per y e ad factum ab u y ad e o ſic i n ad e o, hoc eſt i a ad a o.

Sic fit ſecundum Ptolemæi docendum quod in typo præmiſſo quintum eſt.

Dico ergo rationem i o ad o a eſſe factam è ratione i y ad y u, & ratione u e ad e a. Rurſus enim à principio antecedentis factæ i ſit parallela ad conſequentem ſecundæ facientium e a. quę concurrat

currat

currat cum e o in n continuata. Erit per 14 e. ut i o ad o a ſic i n ad e a. Sunt ergo jam rurſus multiplicatæ proportiones

u e e a. u e. e a.
i y. y u. i n. u e. per 14. e.

Ergo per multiplicationẽ proportionum ratio i n ad e a, hoc eſt i o ad o a fit è ratione i y ad y u per rationem u e ad e a.



Hæc duo exempla Ptolemæus paulo aliter cum Theone demonſtrat: nec parallelam eodem & communi modo ducit. ut enim in primo exemplo à puncto o ſeu fine conſequentis factæ parallela antecedenti primæ facientium ducitur: ſic in ſecundo exemplo parallela quartæ e o è fine conſequentis factæ egreditur.

Theon quoq; in ſuis exemplis ſpeciatim demonſtrandis generali via caret. Nam in ſecundo noſtri typi exemplo parallela eſt à principio antecedentis factæ ad conſequentem ſecundę facientium: at in tertio à fine conſequentis factæ parallela conſequenti primę facientium educitur. Quare ut de generali elemento ſollicitus fui: ſic generalem elementi demonſtrationem, demonſtrationisq; fabricam quærere conatus ſum. Et ſane talis eſt ea quam propoſui: & in ſpecialibus Ptolemæi exemplis exercui. Sed præſtat in Theonis exemplis idem docere. Sumemus itaq; rationem reflexæ ad ſegmentum & ſegmentorum inter ſe: nempe 4 & 6 exemplum noſtri typi.

Dico ergo rationem o e ad e y eſſe factam è ratione o a ad a i per rationem i u ad u y.

Ducatur à termino o nempe principio antecedentis factæ parallela ad u y recta n o.

Erit per 14 e. ut o e ad e y ſic parallela n o ad u y.

· At ratio n o ad u y fit è ratione o a ad a i, & i u ad u y.

Sunt enim multiplicatę proportiones:

i u. u y. i u. u y.
o a. a i. o s. i u.

per 14 e.



Rursus dico rationem e y ad y o componi ex ratione e u ad u a, & a i ad i o. Theon parallelam ducit ex o. ad u i. Sed per generalem fabricam ducetur ex e ad o i. Erit ergo ut e y ad y o. sic e n ad o i. jam sunt multiplicatę proportiones istæ:

a i. i o. a i. i o.
e u. u a. e n. a i.



Ergo ratio e n ad i o, hoc est e y ad y o erit ex dictis rationibus facta.

De segmentis rectarum diversarum multa tractant Arabes sub nomine regulę sex quantitatum. Et Alchindi hac de re modi sive theoremata circumferuntur. Repetit etiam in Algorithmo suo Regiomontanus: & Maurolycus ad 1 p 3 Menelai. Verum nihil habent quod non protinus è proportionum multiplicatione Arithmeticæ peritis occurrat. Sunt enim modi illi istius multiplicationis exempla specialia.

F I N I S.

BASILEÆ,

PER SEBASTIANVM HENRIC-
PETRI, ANNO SALVTIS HV-
MANAE M. D. LXXXIII.
MENSE AVGV-
STO.


SEBASTIAN · HENRIC
PETRI ·